







SPICILEGIUM
ANTIQVITATIS.





SPICILEGIUM ANTIQVITATIS
SIVE
VARIARUM
Ex Antiquitate
ELEGANTIARUM
vel
Novis Luminibus illuſtratarum
vel
Recens etiam editarum
FASCICULI,



Exhibente
L. BEGERO,
Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliario ab Antiquitatibus & Bibliotheca.





COLONIÆ BRANDENBURGICÆ,
Typis ULRICI LIEBPERTI, Electoralis Typographi.
Anno M DC XCII.







PER-ILLUSTRI ET GENEROSISSIMO,

DOMINO

EBERHARDO CHRISTOPH. BALTHASARO à DANCKELMAN,



Serenissimi Electoris Brandenburgici,

MINISTRO INTIMO

à CONSILIIS

STATUS, FEUDALIBUS ET BELLICIS &c. &c.

Domino meo, omni devotæ mentis cultu

Devenerando.

PER-ILLUSTRIS ET GENEROSISSIME,
DOMINE ET PATRONE GRATIOSISSIME



I præcellens Tuorum meritorum jubar tanta mihi facultas foret describendi, tanta Tibi patientia contemplandi, quanta est Tua dignitas & gloria, quantusque animi mei ardor, in laudes Tuas, PER-

ILLU-

ILLUSTRIS DOMINE, *plena Panegyri assurgerem. Ferit oculos non unius tantùm Regionis, sed totius politioris Terrarum Orbis, indefessa illa* Providentia, *qua Marchiæ Brandenburgicæ Provinciarumque Electoralium felicitati consulis, Teutonici Imperii gloriam curas, Pacis Bellique negotia promoves. Admirationi est invicta illa* Fides, *qua* SOLIUM ELECTORALE, ACHILLEMQVE BRANDENBURGICUM, AUGUSTUM *inquam* MARCHICI SCEPTRI MODERATOREM, *non Domi tantùm, inter sanctioris Justitiæ fasces, sed etiam in Bello, inter turbidos furibundi Martis clangores, quibus* DIVINUS ILLE HEROS, *pro securitate publica, glorioso ausu, sese immittere solet, amplecteris.*

Quis crederet, ex tanto fastigio, inter tot, tantosq; virtutum Tuarum labores, gratiosum benevolentiæ radium, in tenebrosas gementium Exulum speluncas, in obscura trepidantium Musarum antra penetrare posse? At defluit in utrosq; Te & procurante, & dispensante, continuus Electoralium beneficiorum imber. Te Gallus Religionis Zelo fugitivus, post inclytum illum ΑΕΤΟΦΟΡΟΝ, *Patronum suum veneratur! Te Palatinus, Bellonæ furiis patria pulsus, Præsi-*

dium suum adorat! Te Artium Scientiarumque Mysta, dulce Decus suum, suspicit.

Quid ego, qui duplici nomine Tibi obstrictus sum? Quod Palatinos gratioso favore reficis, ipse Palatinus quidni gratias Tibi referam? Quod Musis, inter bellicos Populorum fremitus, securitatem præstas, largâque manu subsidia affundis, ipse Musarum sacerdos quidni holocaustum Tibi accendam? Adest victima, si non tuis condigna meritis, attamen devoti Tibi, pro immenso beneficiorum agmine, animi mei index.

Africa mittit Ebur, mittunt sua Thura Sabæi,
Electrum Prussus, pretiosas India baccas.

Mihi nec Pactolus, nec Hermes divitias suppeditat: Opes Heliconis curæ sunt, quem & APOLLO NOSTER Augusto jubare irradiat, & Tu, GENEROSISSIME MÆCENAS, Herculis Musagetæ *instar, sollicitè tueris. Hic non tantùm Hesperidum hortos, non tantùm hortos Alcinoi, aut biferi Pæsti rosaria carpo; Tota Græcia, quam latè olim diffluxit, sinum suum mihi patefecit: Terrarum Gentiumque dominatrix Roma ambitum suum aperuit, ut dignos Tua magnitudine flosculos colligere, arisque Tuis imponere possem. Ex his accipe, quicquid hoc est, submissi calami mei*

hostimen-

hostimentum! Accipe hostiam, non quæ nitidis ignibus, sed quæ calidis pro salute & felicitate Tua votis ardet. Deus felicitatis summus arbiter, Te felicitatis nostræ, post inclytam BRENNI *dextram, Statorem indefessum, omni felicitate coronet! Vitæ fons, Vitam longam Tibi largiatur! Gloriæ Author, gloria perenni per ora Posteritatis Tua merita ferat! Sic feliciter agent, non Helicon tantùm, sed & Solium Electorale! non Marchia tantùm, sed & Orbis Brandenburgicus; imò & ejectæ sedibus suis & Pietas & Innocentia! Ita vovet,*

PER-ILLUSTRIS ET GENEROSISSIME DOMINE!

GLORIOSISSIMI TUI NOMINIS



Cultor obsequentissimus

LAURENTIUS BEGER.





Um innocenti Libertate per amœnissima nobilioris Antiquitatis Viridaria ambulo, id mihi accidit, quod etiam in hortis solet. Diffusus undique variantium flosculorum decor non tantùm sui in contemplationem me trahit, sed & eò audaciæ propellit, ut ex immensâ segete elegantiora quædam colligere, & in publicum efferre sustineam. Primas tenent Numismata. Procedit

I.
ΗΡΩΣ ΕΥΜΕΝΗΣ





Duas hoc in nummo figuras cernimus. Altera certa est, altera hactenus incerta. Illam Apollinis esse, ex radiis discimus: Hanc esse Ηρῶος Ευμενῦς *Herois Mansueti & Benevoli*, conjecturâ assequimur, eâ potissimùm ratione, quòd nec Deum insignia determinent, nec Heroem hastile neget: Chiorum autem, quorum Numisma est, historiam versantibus non alius occurrat, cui potius ea figura tribui

pos-

possit. Audiamus Nymphodorum apud Athenæum lib. 6. p. 265. & quidem, cum locus prolixior sit, ex Dalechampii interpretatione; ita ille: *Parum ante nostram ætatem, Chii narrant, servum quendam profugum in montibus consedisse, illicque fuisse commoratum, animi quidem virilis hominem ac bellicosum, & qui, velut exercitus Rex, fugitivorum ductor ac Imperator esset. Adversus illum Chii cùm expeditionem sæpius fecissent, ac irrito conatu nihil profecissent; ut eos perire frustra videt DRIMACUS, (sic enim fugitivus ille nominabatur) his verbis ipsos est allocutus: Quod negotium vobis, ô Chii Dominique nostri, servi facessunt, nunquam cessabit. Quo enim pacto desinere possit, cum Oraculo, id eventurum, Deus prædixerit? At mihi, si vos obtemperetis, & quiescere nobis per vos liceat, multorum ego vobis bonorum Author futurus sum. Fœdus ergo Chii cum inivissent, ac inducias in aliquot tempus essent pacti, mensuras, pondera & sigilla peculiaria sibi fabricatus, ea Chiis ostendit ac dixit, quicquid ii daturi essent, eo se accepturum pondere & mensura: acceptis verò, quæ satis sint, pretium relicturum notatum impresso eo signo: De fugitivis postea illorum servis se inquisiturum & fugæ causam examinaturum: si quid atrocissimum & inexpiabile passi fuisse videantur, eos se habiturum: si justam suæ fugæ causam non dicant, ad heros se remissurum.*

Eas fœderis & pacis leges reliqui servi cum viderent Chiis acceptas esse; multò minus auffugiebant, illius judicium metuentes; Ejus autem comites fugitivi, magis ab eo sibi timebant, quam à Dominis, & quæ sui muneris essent, omnia illius, ut Imperatoris, jussu, obedientes exequebantur. Protervos enim & extra suum ordinem palantes is puniebat, agrumque populari nemini concedebat, aut se nolente injustè patrare quippiam. Diebus verò festis ex montibus in agrum descendens, vinum opimasque hostias auferebat, & si quid aliud Domini largirentur; Si quem autem sentiret, insidiantem sibi, aut exitium molientem, ab eo pœnas exigebat. Cùm verò Civitas per præconem denunciasset, magnam se pecuniæ vim daturam, si quis eum caperet, aut abscissum ejus caput afferret, Drimacus jam natu grandior Amasium suum in secretum locum abduxit, & sic affatus est: Ego quidem omnium hominum te maxime dilexi. Tu porro mihi puer es, filius, & alia omnia, Jam temporis satis vixi. Tu verò Juvenis es. Ætatis est iste vigor ac flos. Quorsum hæc?

Stre-

Strenuum te eſſe, ac fortem virum oportet. Quandoquidem Chiorum civitas, ſi quis me interficiat, percuſſori plurimam cum libertate pecuniam pollicetur, volo te amputatum mihi caput Chium perferre, receptaque à civitate pecunia Te poſthac beatam vitam degere. Abnuenti negantique, ſe id facturum, Juveni, morem ſibi ut gereret, tandem perſuaſit: Exectum illius caput ad Chios Juvenis defert. Chii, quos præco nummos promiſerat ſolvunt. Corpore fugitivi ſepulto, in patriam is remeat. Verum, cum ab infeſtis ſervis, Chii adhuc multis Injuriis afficerentur & diriperentur, memores æquitatis ac lenitatis mortui, in agro ſuo HEROUM illi exſtruxerunt, appellaruntque ΗΡΩΟC ΕΥΜΕΝΟΥΣ, *HEROIS MANSUETI AC BENEVOLI, cui etiamnum fugitivi decimas omnium, quæ deprædantur, offerunt. Illum quoque, ajunt, in ſomnis Chiorum multis apparere, & ſignificare, quid inſidiarum ſervi machinentur: ac eos quibus noctu viſus eſt, in Heroi locum profectos illi ſacrificare.*

Hæc à Nymphodoro apud Athenæum relata, & de ſactificio teſtantur, quod in numiſmate per aram exprimitur, & cauſam ſimul aperiunt, cur *Heros* hic *manſuetus* Apollini junctus ſit; Primò enim ejus Dei cultorem fuiſſe, inde patet, quod Oraculo, Chiis ſervorum inſultus denuncianti, credidit: deinde eosdem cum Deo fatidico honores meritum, inde conſtat, quod Chiis per ſomnum apparuit & ſervorum machinationes detexit. Hæc duo, qui probè conſiderat, quin Heroem manſuetum in numiſmate Chiorum ſimul cum Apolline mecum faſſurus ſit, nullus dubito.

II.
PHINTIAS REX.



 De

De hoc nummo, an ad Phintiam Regem, an ad urbem Φιντιάδα referendus sit, anceps apud authores disquisitio prostat. Ad rem decidendam, Diodorum Siculum adducimus, qui non tantùm de Phintiade Urbe, sed etiam de Phintia Rege, Phintiadis Urbis conditore, docet. Ita ille in Ecclogis ex libro XXII. Κατὰ δὲ Σικελίαν ἦσαν τύραννοι Ἱκέτας ἐν Συρακούσῃ, ΦΙΝΤΙΑΣ ἐν Ἀκράγαντι, καὶ Τυνδαρίων ἐν Ταυρομενίῳ, καὶ ἕτεροι τῶν ἐλαττόνων πόλεων. Φιντίας δὲ καὶ Ἱκέτας πρὸς ἀλλήλους πόλεμον ἐνστησάμενοι παρετάξαντο περὶ τὸν Ὕβλαιον, καὶ τὴν Νίκην Ἱκέτας ἀπηνέγκατο. &c. paulo post: Κτίζει δὲ Φιντίας πόλιν, ὀνομάσας αὐτὴν Φιντιάδα, Γελώους ἀναστάτους ὄντας οἰκίσας ἐν αὐτῇ; ἔστι δὲ αὐτὴ παραθαλάσσιος. Καθαιρῶν, γὰρ τὰ τείχη καὶ τὰς οἰκίας, καὶ τοὺς λαοὺς τῆς Γέλας εἰς τὴν Φιντιάδα μετήνεγκε, κτίσας τεῖχος καὶ ἀγορὰν ἀξιόλογον, καὶ ναοὺς θεῶν. hoc est: *In Sicilia Tyranni erant, Hicetas Syracusis, PHINTIAS Agrigenti, Tyndarion Tauromenii, urbiumque minorum alii. Phintias autem & Hicetas conflato inter se bello, ad Hyblæum acie instructa concurrerunt, victoriamque retulit Hicetas.* & mox. *PHINTIAS urbem condidit Phintiadam, Gelensesque è Patria submotos in ea collocat. Sita autem hæc est ad mare. Muris enim domibusque Gelæ destructis, populum Phintiadem transtulit, postquam mœnia forumque insigne ac Templa Deorum condiderat.*

Hæc cum ita sint, consequens est, *primò:* Ut Caput in numismate laureatum, non Gelonis, sed ipsius Phintiæ statuamus. *Secundò:* Si quid vetustate detritum in Numismate fuit, quod equidem ne dubium sit, per quam vereor, ut non nomen id Regis esse, sed loci fortassis arbitremur, & quid si ΑΚΡΑΓΑΝΤΙΝΩΝ? eodem modo, quo in nummis Nicomedis, aliisque quibusdam Nomina Regis & Urbis conjuncta cernimus? *Tertiò:* Ut corrupta Authorum Nomina apud Ptolemæum, cui Φθίντια, & Antoninum in Itinerario, cui Plintis Urbs Phintiæ dicitur, cum Doctis corrigamus, & illic Φίντια hic Φίντις restituamus; ut taceam Plinium, ubi *Phintienses* & *Phintia* de fonte Siciliæ, ubi Codex Chiffletianus *Pinthia*, alii *Pythia* legunt, cùm tamen apertè *Phintienses* & *Phintia* legi debeat. *Quartò:* Ut Damonis amicum, qui vulgo Pythias dicitur, rectè à Plutarcho περὶ πολυφιλίας ΦΙΝΤΙΑΝ credamus dici, quo nomine etiam Jamblicho memoratur, qualiter etiam in Veteribus Ciceronis libris se reperiisse Turnebus testatur. *Quintò:* ut adversæ canem non ad Pyrrhum Gelonis referamus,

mus,

mus, quod Golzius non improbabili conjectura sibi videtur facere, sed ad Phintiæ venandi studium, quod ex aliis Regis Phintiæ apud Parutam numismatibus, Aprum & Dianam exhibentibus, abunde patet, quorum huc ectypa transferimus.



Addatur in rei fidem & lucem idem Diodorus Siculus, quo teste etiam somnium, Phintiæ funestum, venationem adumbravit. Φιντίας ὁ Φιντιάδος κτίστωρ, Ἀκραγαντῖνος τύραννος εἶδεν ὄναρ δηλοῦν τὴν τοῦ βίου καταστροφήν. ὗν ἄγριον κυνηγοῦντος ὁρμῆσαι κατ' αὐτοῦ τὴν ὗν, καὶ τὴν πλευρὰν αὐτοῦ τοῖς ὀδοῦσι πατάξαι, καὶ διελάσαντα τὴν πληγὴν κτεῖναι. *Phintias, Conditor Phintiadis & Agrigenti Tyrannus, somnium vidit, exitum illi vitæ repræsentans: Dum Aprum venatur, sus in eum ruere, latus ejus ferire dentibus & transadacto vulnere, ipsum perimere visus.* Non caruit somnium eventu: Phintias, eodem Authore, ob Gelenses excisos, reus cædis factus, urbium cunctarum illi subditarum odiis flagravit, quæ & præsidia expulerunt, inter quos primi fuere Agyrinæi.

III. ΑΕΤΩΜΑΤΑ Ædificiorum.





QUid ſub vocabulis *αετ8 και Αετώμα©*, ubi de ædificiis & Templis ſermo eſt, intelligi debeat, anceps apud Authores Sententia proſtat. SUIDAS Tecta ipſa ita vocata arbitratur ſub voce Ἀετώματα. *Τὰ τῶν ἱερῶν ϛεγάσματα*, inquit, *πτέρυγας καὶ ἀετὸς καλοῦσιν.* *Templorum tecta alas & aquilas vocant*, allegatque hæc ARISTOPHANIS.

Τὰς οἰκίας ἐρέψομεν πρὸς ἀετὸν.
domos tegemas ad Aquilam.

additque ita dicta *αvlὶ τ8 ϛεγάσομεν.* pro voce *tegemus*. Sed videtur ipſe SUIDAS hujus ſuæ opinionis firmus non fuiſſe, cum paulò ante Ἀετὸν οἰκοδομημάτων non ϛέγασμα tectum, ſed *τὰ κ τὸν ὄροφον eam partem*, dixerit, *quæ in tecto eſt*, quamque quidam Ἀέτωμα vocant HESYCHIUS ita dici ſcribit, *τὸ κυμάτιον τὸ ἐν τοῖς γείσοις* *Cymatium in Suggrundis*. Suggrundæ ſunt tecti exſtans inferior pars, parietes à pluvia defendens, & Cymatium iis ſuppoſita linea, fluctuum in ſpeciem efformata: Proindeque *ἀετὸς* & *ἀέτωμα* ſecundum hunc eſſet in lateribus domuum aut Templorum. GALENO *in Lexico Hippocratæo* eſt *ἀέτωμα, τὸ εἰς ὕψος ἀνατεταμένον τῆς ὀροφῆς, ὥσπερ τρίγωνον*, *illa pars tecti, quæ triangulari forma in ſublime elevata eſt.* Hæc apud Antiquos. Recentiores & ipſi opinionibus in diverſum abeunt. COELIUS RHODIGINUS Suidæ aſſentitur: *Legimus*, inquit *in Templis nominari ἀετὸς. Id non aliud indicat, quam tecta, quæ item πλεgὰ vocant, ſed & ἀετώματα.*

HENRICUS STEPHANUS Ἀέτωμα, *id quod ἀετὸς peculiariter dicitur, de faſtigio ædificiorum aquilæ volantis ſpeciem repræſentan-*

tante. Ex quibus ſimul & vocis ratio redditur, quamvis ad illud Pindari Olymp. Od. XIII.

Τίς Θεῶν ναοῖσιν οἰωνῶν βασιλῆα δίδυμον ἔθηκε.

aliam, & quidem numiſmatibus noſtris apprimè convenientem, ſuggerat Smidius. *Intelliguntur*, inquit, μεταληπτικῶς ἀετώματα vel ἀετοὶ. *id eſt Aquilarum ſigna Metallica, quæ faſtigiis Templorum & aliorum ædificiorum imponi ſolent.*

Hæc ſententia, cùm non tantùm rationi conſentanea ſit, ſed & allatis venerandæ Antiquitatis monumentis confirmetur, conſequens eſt *Primò:* Ut rejecto Suida & Heſychio, Ἀετώματα non in tecto, ſed in faſtigio & culmine ædificii quæramus. *Secundò:* Ut propriè aquilas ipſas faſtigiis templorum vel impoſitas, vel appoſitas, impropriè autem & μεταληπτικῶς, faſtigium ipſum, ut Galenus ait, trigoni in formam effigiatum intelligamus. *Tertio:* Ut rationem, ab Aquilis illis impoſitis approbantes, eam frivolam pronunciemus, quam EUSTHATHIUS profert, his verbis: Μέρος τὸ τῶν ναῶν οὐ μόνον ἀέτωμα ἐλέγετο, ἀλλὰ καὶ ἀετοὶ διὰ τὸ ἐοικέναι φασὶ πτέρυξιν αὐτῶν. *Quartò:* Quando apud Comicum dicitur.

Τὰς γὰρ ὑμῶν οἰκίας ἐρέψομεν πρὸς ἀετόν.

Veſtras enim domos tegemus ad Aquilam.

non idem eſſe, ac στεγάσομεν, ut SUIDAS, nec idem, quod *ad Aquilinarum alarum ſimilitudinem* tectum eorum in ſummo faſtigio faciemus; Sed quod στεγάσομεν πρὸς ἀετώματα, tegemus ad Aquilas, ut Schol. Græc. id eſt, ad culmen uſque.

Ad Pindarum adhuc ſubjicienda veniunt Scholiaſtis verba, ex quibus non tantùm patet, aquilas Templis impoſitas, ſed & gemina fuiſſe ἀετώματα: οἰωνῶν βασιλέα, τὸν ἀετὸν φησι. λέγει δὲ τὸ κατὰ τοὺς ναοὺς τῶν θεῶν ἀέτωμα. τίς οὖν φησιν ἐν τοῖς ναοῖς τῶν θεῶν τὸν βασιλέα τῶν ὀρνίθων ἐπέθηκε τὸ λεγόμενον ἀέτωμα. Δίδυμος δέ φησιν, ὅτι διπλᾶ τὰ ἀετώματα, ὄπισθεν καὶ ἔμπροσθιν. Διὰ τὸ ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν κατασκευάζεσθαι αὐτά. Ἄλλως. οἰωνῶν βασιλέα. ὁ ἀετὸς οἰωνῶν βασιλεύς ἐστιν ὁ ἐπὶ τῶν ἱερῶν τιθέμενος. τινὲς δὲ τὸ ἀέτωμα, ὥς φησι Δίδυμος, παρατιθέμενος Τίμαιον λέγοντα. καὶ τοῦτο ἐν ταῖς οἰκοδομίαις αὐτῶν. εὕρημα καὶ τὰ ἑξῆς.

IV.

IV.
SYRI
Sub Ariete.



ANimal ſupra caput turritum in Nummis ab Antiochenſibus percuſſo Triſtanus *Leonem* putat, Cybeles capiti impoſitum. Alii *Ovem* interpretantur, alii & quidem rectè arietem, quem cum ſtella ſolitum quidem faciunt Antiochenſium ſymbolum, cur autem in eorum nummis fulgeat, hactenus, quod ſciam, nemo aperuit. Mihi ſub Ariete *Signum cœleſte* latere videtur, idque non tantùm, quòd Stella & Luna, in quibusdam arieti jungantur, ſed etiam, quòd aries capiti turrito, imò & templis ut plurimùm impoſitus ſit, quod utique contra artis præcepta foret, ſi animal terreſtre ſub eo lateret. Favet aſſerto MANILIUS, qui ſub ariete cœleſti ſigno Syros ponit, quorum Metropolis Antiochia fuit.

Laniger in medio ſortitus ſidera mundo
Adſerit in vires Pontum, quem vicerat ipſe,
Illum etiam venerata colit vicina Propontis
Et SYRIÆ Gentes. &c.

Ex

Ex his Manilii constat, eandem rationem etiam esse arietis, in nummo Κυῤῥηστῶν, templo Jovis καταιβάτου impositi;



Neque enim soli Antiochiæ Arietem tribuit Manilius, sed *Gentibus Syriæ*, quarum civitas etiam Cyrrhus erat. Quanquam Sidus in Numismate, utpote cum luna conjunctum, non tam stellam aliquam putarem, quam Solem siderum principem. De Luna apposite succurrit ARATUS in Phœnomenis, v. 225.

> αὐτοῦ καὶ κριοῖο θοώταταί εἰσι κέλευθοι,
> αὐτὸς μὲν νωθὴς καὶ ἀνάστερος οἷα σελήνη
> σκέψασθαι.
>
> *Illic etiam arietis celerrimi sunt cursus.*
> *Ipse quidem languidus & obscurus, utpote Lunam*
> *Observando.*

De Sole & Luna audiatur COEL. RHODIGINUS, cujus hæc sunt: *Ajunt, quum primum in ordinem hunc & nitidissimam claritatem facta, expurgata, compositaque Elementa sunt, quem diem mundi esse natalem prædicant, ARIETEM signum media cœli tenuisse, qui locus ceu quidam mundi vertex intelligitur; proindeque factum, ut PRINCIPEM in signorum duodecim limbo LOCUM ARIES habere credatur, quippe in genituris omnibus cœlum medium principem habet locum. Nam & ex hoc totius genituræ fundamenta colligunt. Inde concinne admodum ex hoc signo reliquis omnibus initium factum, præsertim cum stellarum pars maxima, sed & Lumina utraque, SOL & LUNA, radios suos in hoc collimârint.*

En Solem & Lunam radios suos in Arietis signum collimantes! Solem & Lunam, quæ in nummo Arieti junguntur! En Arietem Signorum duodecim principem! Principem, qualem Antiochiam

 si non

ſi non mundi, tamen Orientis dictam (quæ alias poſt Romam & Conſtantinopolim, aut Carthaginem aut Alexandriam, quibus tamen interdum & præponitur, tertia fuit] Per Ill. SPANHEMIUS docet ad Cæſares Juliani, pag. 402.

THEON Autor eſt, ab Ariete ordiri Ægyptios, quod ſigna omnia cum membris analogon habeant; eſſe autem Caput arietem, conjectant, quia in capite ſit animæ principatus, & ovium Dux Aries ſit. Hæc mecum ſi conſidero, facilè mihi perſuaſerim, urbem faſtigii principalis æmulam, imò & citerioris Aſiæ non ſemel Dominam, ideò arietem hunc numiſmatibus ſuis expreſſiſſe, ut primam ſibi gloriam non ambitione humana, ſed divino naturæ conſilio teſtaretur adjudicatam.

V.
AMORGINI
Samiorum Colonia.



CUr in Amorginiorum nummis expreſſus ſit Apollo cum Sphæra & circino, an ob excellentes aliquos Aſtrologos, quos habuerit hæc Inſula? inquirendum Lectori NONNIUS relinquit.

Alii

Alii id factum arbitrantur ob receptum fortè in Civium numerum Pythagoram Samium, Oenipodemve Chium, aut quempiam alium è priscis illis Astrologiæ Magistris: adduntque, in nummis Samiorum Pythagoram baculo Sphæram monstrare. Exstat numismatis illius Ectypon in *Specimine Morelliano*, ex quo & hic denuo ut proponam, quid prohibet?



Multum certe facit, & ad confirmandam de Pythagora opinionem, & ad rejiciendam de Oenipode; non equidem, ut in civium numerum ab Amorginis receptum Pythagoram credamus, sed ut *Amorginos ex Samo* Pythagoræ patria discamus *oriundos*. Pythagoras non tantùm Samius fuit, præter alios & Ovidio canente Met. 15.

Vir fuit hic ortu Samius.

Sed & Astrologiam, imo & Geometriam, quæ sub Circino adumbratur, & integram Mathesin in tantum calluit, ut non abs re idem Author cecinerit:

— — Cœli regione remotos
Mente Deos adiit, & quæ natura negavit
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

Pythagoras in nummo Samiorum Sphæram tangit, qualis & in numismate priore Amorginωn visitur. Quis ex hac convenientia non aliquam utriusque Insulæ cognationem præsumat? Eam apertis verbis edocet Suidas, quem & Nonnio citatum videmus, quanquam rei basin assecutus non sit. Ita ille.

Σιμμίας. Ῥόδιος. γραμματικός. ἔγραψε γλώσσας βιβλία γ΄. ποιήματα διάφορα βιβλία δ΄. ἦν δὲ τὸ ἐξαρχῆς σάμιος. ἐν δὲ τῷ ἀποικισμῷ τοῦ Ἀμοργοῦ, ἐστάλη καὶ αὐτὸς ἡγεμὼν ἀπὸ σαμίων. ἔκτισε δὲ Ἀμοργὸν εἰς γ΄ πόλεις. μινώαν. Ἀιγιαλόν. ἀρκεσίμην.

VI.
CHIUS
Cretenſium Colonia.



GOltzius hoc Numiſma proponit. Interpres Nonnius de aversâ tacet. Tacent & alii, quoscunque de Chiorum Numiſmatibus inſpexi. Mihi *Labyrinthus* videtur, idque ob perplexos parietes, continuosque anfractus, cœcasque viarum ambages, quibus labyrinthus apud Authores deſcribitur, & hodiénum in Numiſmatibus Gnoſſiorum occurrit. En Exemplum ex Gaza Electorali Brandenburgica!



Sed de Labyrintho Cretico conſtat. Conſtat & de Ægyptio, & de Italico, & de Lemnio. Quis autem unquam in Chio Labyrinthum poſuit? Et ſi non fuit, quæ ratio ejus in numiſmate Chiorum expreſſi?

Dicam quod ſentio. Ratio duplex eſſe poteſt: Minois potentia & Oenopionis in Inſulam tranſitus. Minos, qui Labyrinthum in Creta exſtruxit, potentia navali imperium maris & Inſulas obtinuit: Quidni igitur & Chium, occurrente famoſiſſima Labyrinthi ſtructura in Chiorum nummo? Oenopion ex Ariadna Minois filia genitus, à Rhadamanto, juſtiſſimo ſub Minoe Cretenſium Judice, Chi-

 um

um possidendam accepit, Vinique confectionem, quam à Patre Baccho didicerat, proculdubio primus intulit. Diodorum audiamus. Τὸν δὲ Ῥαδάμανθον Οἰνοπίωνι τῷ Ἀριάδνης τῆς Μίνω Χίον ἐγχειρίσαι φασίν. ὃν ἔνιοι μυθολογοῦσι Διονύσου γενόμενον, μαθεῖν παρὰ τοῦ πατρὸς τὴν οἰνοποιΐαν. *Rhadamanthum autem Oenopioni, ex Minois Ariadna, genito Chium possidendam tradidisse, eumque è Baccho natum, vini confectionem à patre didicisse, memorant.*

VII.

COI

ab Argis oriundi.



LUdovicus Nonnius in hoc nummo quidem Junonem & duo Conopea agnoscit, sed nullum Authorem, qui lucem affunderet, memorat. Simili modo & HARDUINUS, magnum nobilioris Antiquitatis lumen, nummum ex Cimelio Regio producit, Antonini Pii dicatum gloriæ, in cujus aversa Juno sit in curru juncto pavonibus, nulla tamen ex authoribus adjecta rei causa. Mihi dum Athenæum lustrarem, commodè occurrit, quod pag. 639. Macario referente legitur. *Coos* sc. *dum JUNONI sacrificant, servilia prohibere ad Epulas accedere.* Ex eo sane Junonis cultus apud Coos indubitato apparet, cujus si originem desideres, Tacitum audi, lib. XII. Annal. *Retulit dein de immunitate COIS tribuenda, multaque super antiquitate eorum memoravit. ARGIVOS, vel cum Latona parente, vetustissimos Insulæ cultores. &c.* En Argivos vetustissimos Insulæ cultores! Argivos apud quos, Strabone lib. IX. teste, Juno nata ferebatur, quique Ἡραῖα seu *Junonis sacra* solennissime celebrabant, id quod pluribus apud idoneos Authores docetur. Quis ex his non colligat, Junonis cultum simul cum Argivis in Insulam in-

tro-

troductum fuiſſe, idque Vetuſtatis ſuæ monumentum Poſteros in numismatibus ſuis conſecraſſe? Tantus ſcilicet Argis Junonis cultus fuit, ut & inde cognomen Deæ imponeretur: Ἥρη Ἀργείη memoratur HOMERO: Ἥρα Ἀργεία numismati Neronis in ſpecimine Morelliano: & apud Gruterum pag. XXIV. legitur. JUNONI· ARGIVÆ: ut taceam Ἥρας Ἀργείας ναὸν, Junonis argivæ templum, cujus Pauſanias in Laconicis meminit, adeò ut non abs re Horatius cecinerit:

> *Plurimus in JUNONIS honorem*
> *Aptum dicit Equis ARGOS.*

De duobus Conopeis quod dicam, nondum habeo, niſi quod ob tenuia quibus obteguntur, telarum umbracula in mentem venit *tela bombycina* & *Coa*, cujus prima inventrix fuit, quæque tanta ſubtilitate texebatur, ut corpus non tegeret, ſed denudaret. De qua Plinius lib. XI. cap. 23. & Tibullus

> *Illa gerit TENUES VESTES, quas FOEMINA COA*
> *Texuit.*

Credendum ſcilicet, quâ toto orbe celebrabantur, artis ſpecimen etiam Deæ Coos conſecraſſe, quam non Vetuſtatis tantum ſuæ teſtem habebant, ſed & inter præſides ſuos venerabatur.

Quòd autem duo Canopea ſupervolante velo quaſi juncta cernamus, forſitan ideò factum, quòd non tantum Junoni, ſed & Junonis marito Jovi honorem haberent, quem & ipſum Argivos variis ſub cognominibus coluiſſe, ex Pauſania patet.

VIII.

VIII.
COLCHORUM.
apud Goltzium nummi
An ad Golgos Cypri pertineant?



UT nummos, etiamsi aliorum calamo jam explicatos, rursus in Theatrum adducere necesse habeamus, diversitas opinionum facit, quibus jam dilucidata interdum aliò detorquentur, eoque, dum justa Sententiarum fulcra latent, nihil aliud, quam luci tenebræ inferuntur. Idem & propositis videtur accidisse. Nonnius in priore Minervam agnoscit, casside armatam, quam ramus Oleæ coronat: idque ideo, quod in Colchide *Minerva Asia* fuerit culta, in cujus memoriam, teste PAUSANIA, à Castore & Polluce post reditum ab expeditione Colchica, etiam Templum *Minervæ Asiæ* conditum fuerit in Laconia. In posteriore agnoscit Apollinem, capite laurea coronato, denuo ob cultum Solis, tanquam Regum suorum Authoris, apud Colchos plane peculiarem, cum Diodorus referat, Solem duos procreasse filios, Æeten scilicet & Persen, quorum ille Colchidos, hic Tauricæ regnum tenuerit. Quare Valerio Flacco hac de causa & in Templo Apollinis jus dicere consuevisse, libro 5. memoretur.

Phæ-

— — *Phœbi genitoris ad aras*
Ventum, ait. huc adytis jam ſe de more parentis
Rex feret, Hic proceros audit, populosque precantes
Alloquiis facilis præſens pater admonet æquis.

Quis poſt tam claram interpretationem, aliam adhuc orituram credidiſſet? Sed orta eſt, & quidem calamo ejus, cujus Eruditio multum lucis deliciis noſtris attulit. Rev. Harduinum dico, cujus æquitas haud opinor mihi ſuccenſebit, ſi hoc loco opinionem ſuam clarius deducendi occaſionem ei exhibeam. Ita ille: Κολχων. *apud Golzium in Aſia Tab. I. ſed dubie* Γολχων *ab eo legi oportuit, qui nummos inſpexit. Nam in his Venus inſculpta, ſeu armata ſeu laureata, & ex parte averſa Veneris ſeu Luciferi ſtella, quam leo gradiens reſpicit, nomenque Prætoris adjectum* ΔΩΡΟΘΕΟΣ, *quæ ſunt omnia a Colchorum lingua & moribus aliena. At Golgi in Cypro ſacrum Veneri oppidum Catullus in Epithal.*

Quæque regis Golgos, quæque Idalium frondoſum

Γόλγοι πόλις Κύπρου *Stephano. Unde &* Ἀφροδίτη Γολγία. Hactenus HARDUINUS, cujus ſententia, ſi nummis indubitatæ antiquitatis fulciatur, procul dubio aſſenſum meruerit; ſin ad ectypon Goltzianum inclinet, vereor ut ſubſiſtere poſſit. Dubium movet duplex nummus, in quo difficilius fuit errare, & loco Γ. literam K. ſubſtituere. Deinde utriusque nummi Effigies, quæ neutiquam Venerem referunt, ſed omnino altera Minervam caſſide & jubata & oleæ ramo redimitâ, altera Apollinem laureatum: Utrumque qualiter Centenis in Numiſmatibus proſtant.

Quod de Stella Veneris adfertur, nihilo firmius eſt, quis enim neſcit ſtellæ figura in numiſmatibus Solem præfigurari ſolere? Quis neſcit Regii hunc, quod jam ſupra diximus, generis fuiſſe progenitorem? Quid ex vocabulo ΔΩΡΟΘΕΟΣ contra Nonnium, quid ex leone exſurgat, non video. Leo ſolare animal quidni ad Solem reſpiciat? Dorotheus quid potius ad Cyprum, quam ad Colches? An lingua differunt? At omnia ejus tractus urbium numiſmata Græca ſunt, quidni & Colchorum? fateor me rationem, cur à Nonnii ſententia recedendum ſit, non aſſequi, & gratiſſimum foret, ſi de veritate opinionis contrariæ, rationibus firmis edocerer.

IX.

IX. BOVES. Larini & Cestrini.



GEnerosa Epirum armenta producere, & Tauros præcipue, ex OVIDIO notat Goltzii interpres NONNIUS:

Quanto MAJORES herbida TAUROS
Non habet EPIRUS.

Rev. Harduinus addit Plin. l. VIII. Sect. LXX. *In nostro orbe bubus Epiroticis laus maxima, à Pyrrhi, ut ferunt, jam inde Regis cura.* Et *A*ristotelem L. III. hist. animal. c. XVI. p. 361. Ἠπειρωτικαὶ βόες αἱ μεγάλαι. Sufficiens hæc bovis in Epirotarum Numismatibus causa foret, nisi & argumentum peculiare vetustissimæ Originis aliunde affulgeret. Cognomine *Larini* dicebantur. Originem ab Hercule repetebant, nequicquam Pyrrhi curam laudante Plinio: nisi explosa Lyci Rhegini, aut Proxeni authoritate Apollodorum sequaris. Suidas audiatur, libero statuendi arbitrio: Λαρινοὶ βόες. οἱ ἐν ἠπείρῳ, ἀπὸ Λαρίνου βουκόλου, κλέψαντος τὰς ἡρακλέους βοῦς ὡς λύκος ὁ Ῥηγῖνος, ὅτε τὰς γηρυόνου βοῦς ἤλαυνε. πρόξενος δὲ αὐτὸν τὸν ἡρακλέα ἀνεῖναί τινας τῷ δωδωναίῳ διΐ. Ἀπολλόδωρος δὲ αὖ, τοὺς Εὐτραφεῖς, λαρινούς. λαρινεύειν γὰρ τὸ σιτεύειν. Ἀριστοφάνης ὄρνισι, ζητῶ δὲ λαρινὸν ἔπος, ὁ τὴν τούτων θρέψει ψυχήν. ἀντὶ τοῦ μέγα, ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν βοῶν, ἀπὸ λαρίνου τινὸς βουκόλου ταύτην τὴν προσηγορίαν ἐσχηκέναι. εἰσὶ δέ τινες, οἳ παρὰ τὸ λαρὸν ἀξιοῦσιν αὐτοὺς οὕτω καλεῖσθαι. οἱ δὲ τὴν ΡΙ συλλαβὴν δασύνουσιν. ἵν' ᾖ λαρινούς, τοὺς μεγαλορίνους. *Larini boves, qui sunt in Epiro, (sic dicti) à Larino bubulco, qui boves Herculis furatus fuerat, (ut scribit) Lycus Rheginus, quum Geryonis boves abigebat. Proxenus vero dicit ipsum Herculem, quosdam boves Jovi Dodonæo dicasse. Contra vero Apollodorus ait,*

bo-

boves larinos vocari pingues & bene nutritos ac saginatos. Nam λαρινεύειν significat saginare. Aristophanes in avibas pag.386.v.18. & 19. Dicere quaro (vehementer cupio) aliquod jampridem magnum & pingue, splendidum ac amplum verbum aliquod, quod istorum franget animum, (& spiritus contundet.) Pro magnum per translationem à bobus. (Aristophanes in pace pag.470.v.3. λαρινῷ βοῒ Schol. annot. 4. unde Suid. Lycus Rheginus dicit, ipsos) à Larino quodam bubulco hanc appellationem accepisse. Sunt autem quidam, qui censent, ipsos vocatos παρὰ τὸν λαρὸν. (Larus vero genus avis marina, de qua lexica. Si legas παρὰ τὸ λαρὸν dices ab eo quod est dulce, tenerum jucundum, gratum.) Quidam vero syllabam ρι aspero notant, ut sit λαρινοὺς idem ac μεγαλορίνους sive μεγάλορρίνους, eos qui magnos nares habent.

Hæc apud Suidam leguntur, ubi notandum, quòd Aristophanis interpres & ipse τὸ λαρινὸν pro *pingui* positum per metaphoram à bobus Larinis à Larino pastore ita dictis agnoscat. Ab iisdem bobus etiam *Sues Larinos* dictos author est Eratosthenes, apud Athenæum, ubi & varia vocis Etyma conjunguntur, οἳ οὕτως ἐκλήθησαν, ἢ ἀπὸ τοῦ λαρινεύεσθαι (ὅπερ ἐστὶ σιτίζεσθαι.) ἢ ἀπό τινός κώμης ἠπειρωτικῆς λαρίνης, ἢ ἀπὸ τοῦ βουκολοῦντος αὐτοὺς. λαρῖνος δ' οὗτος ἐκαλεῖτο. *Hos sc. boves ἀπὸ τοῦ λαρινεύεσθαι nuncupant, nimirum quod uberiore pabulo pingues sint, vel à Larine Epiri pago, vel à bubulco, cui nomen Larinus fuit.*

Antequam digrediamur, paucis adhuc mentio habenda ***boum Cestrinorum in Chaonia***, præcipua Epiri regione. De iis SUIDAS eodem loco: Ἐν δὲ τῇ χαονίᾳ φασὶ, τοιούτους εἶναι βοῦς, οὓς καὶ κεστρινοὺς καλοῦσιν. Rationem addit Hesychius: Κέστρινοι βόες, οἱ ἐν χαονίᾳ. ἡ γὰρ χαονία πρότερον κεστρίνη προσηγορεύετο, ἐστὶ δὲ μοῖρα τῆς ἠπείρου διαφόρους ἔχουσα βοῦς.

X.
UVA NICOSTRATIA ET HIPPONIA.





UVam apud Rhodios *Rhodiæ* cognomen habuisse in Thesauro Palatino ad propositum numisma ex Plinio dictum lib. 14. c. 3. Hic adjicimus cognomentum *Hipponiæ* ex Athenæo lib. 14. p. 654. Ex cujus loco simul & de *Nicostratia*, quæ in Attica nascebatur, clarum fit. Ita ille: *Λυγκεὺς δὲ ἐν τῇ ἐπιστολῇ πρὸς Διαγόραν ἐπαινῶν τὸν κατὰ τὴν Ἀττικὴν γινόμενον* ΝΙΚΟΣΤΡΑΤΕΙΟΝ ΒΟΤΡΥΝ, *καὶ ἀντιτιθεὶς αὐτῷ τοὺς* ΡΟΔΙΑΚΟΥΣ *φησιν. τῷ δ' ἐκεῖ καλουμένῳ βότρυϊ* ΝΙΚΟΣΤΡΑΤΙΩ ΤΟΝ ΙΠΠΩΝΙΟΝ *ἀντεκτρέφουσι βότρυν. ὃς ἀπὸ ἑκατομβαιῶνος μηνός, ὥσπερ ἀγαθὸς οἰκέτης διαμένει τὴν αὐτὴν ἔχων εὔνοιαν. Lynceus in Epistola ad Diagoram, Uvas NICOSTRATIAS Laudans, quæ in Attica proveniunt, & comparans ex adverso cum illis RHODIACAS ait: UVÆ quam illic NICOSTRATIAM vocant, bonitate parem alunt UVAM HIPPONIAM, quæ veluti frugi famulus, à Junio mense eandem semper benevolentiam erga herum suum retinet.*

XI.
OLLULA RHODIACA.



NUmisma hoc, cùm in Thesauro Palatino publice contemplandum proponerem, vasculum, quod ei præter rosam impres-

 sum

ſum eſt, Cantharum arbitrabar, & ex vino, de quo mox dicturi ſumus, interpretationem recipere, nunc alia ſubiit opinio. Cùm nulla anſa vaſculum hoc exornet, non Cantharum crediderim, ſed *ollam*, & quidem ex eorum genere, quas *Rhodiacas* dictas & ex Myrrha, odorati junci flore, Croco, Balſamo, Cinnamomo ſimul coctis fieri, ebrietatemque & Venerem arcere & extinguere, ex Ariſtotele Athenæus docet. Verba ſubjicere placet. Ἀριστοτέλης ἐν τῷ περὶ μέθης. αἱ Ροδιακαὶ φησὶ προσαγορευόμεναι χυτρίδες, διά τε τὴν ἡδονὴν εἰς τὰς μέθας παρεισφέρονται, καὶ διὰ τὸ θερμαινομένας τὸν οἶνον, ἧττον ποιεῖν μεθύσκειν. Σμύρνης γὰρ καὶ σχίνου, καὶ τῶν τοιούτων εἰς τὸ ὕδωρ ἐμβληθέντων ἕψονται. Καὶ παραχεόντων εἰς τὸν οἶνον, ἧττον μεθύσκουσιν. Κἂν ἄλλῳ δὲ μέρει φησὶν, αἱ Ῥοδιακαὶ χυτρίδες γίνονται, σμύρνης, σχίνου, ἄνθους, κρόκου, βαλσάμου, ἀμώμου, κινναμώμου, συνεψηθέντων, ἀφ' ὧν τὸ πινόμενον τῷ οἴνῳ παραχυθὲν οὕτω μέθας ἵστησιν, ὥστε καὶ τῶν Ἀφροδισίων παραλύειν, τὰ πνεύματα πέττον. Hoc eſt, vertente Dalechampio Codomenſi: *Ariſtoteles in libro de temulentia: quas OLLULAS, inquit, RHODIACAS nominant, & voluptatis gratia afferunt in Convivia, & quod ex calfacto vino bibentes minus ut inebrientur efficiunt. Etenim Myrrha, odorato junco, & aliis ejusmodi conjectis in vinum coquuntur, ideoque vinum affuſum minus inebriat. Idem in Ejusdem libri alia parte ſcribit, RHODIACAS OLLULAS fieri myrrha, odorati junci flore, Croco, Balſamo, Cinnamomo, amomo ſimul coctis, quæ de cauſa vinum affuſum & potum tam valenter arcet ebrietatem, ut etiam cocto diſcuſſoque vaporoſo ſpiritu Venerem extinguat.*

XII.

XII.
CHALCEDONENSES.
à Megarensibus oriundi.



AD Apollinem his in numismatibus expressum NONNIUS Petrum Gyllium citat, libro de Bosphoro Thracio, Antiquissimum Apollinis templum Chalcedone memorantem, peculiari in honore, & nullis Veterum Oraculis cedens; additque, apud Scriptores cæteros altum esse de eo silentium. Rev. HARDUINUS, & fere eodem tempore & Ego *in Thesauro Palatino*, LUCIANUM in medium adduximus, ex quo Petrus Gyllius assertum suum hausisse videtur; Nunc altius assurgendum arbitror, nec tantum Apollinis cultum sub ejus effigie agnoscendum, sed & Originem Coloniæ. A Megarensibus conditam STRABO lib. 7. & THUCYDIDES lib. 4. memorant. Megarenses autem peculiari cultu Apollinem prosecutos, non tantum sequens eorum numisma arguit:



Sed & historia, qua Apollinem Alcathoum in exstruendis mœnibus

 occu-

occupatum legimus juvisse, quo quidem tempore Citharam ad lapidem deposuit, qui inde, si quis calculo tetigerit, eundem sonitum fingebatur edere, quem Cithara, si pulsetur. Ea de re VIRGILIUS *in Ciri.*

Sæpe lapis recrepat Cyllenia munera pulsus
Et veterem sonitu Phœbi testatur honorem.

Sed hæc & ea, quæ Ovidius ea de re cecinit, ad propositum nummum jam attulit Nonnius. Luciani verba subjicimus. *ἀφικόμενοι εἰς τὴν Χαλκηδόνα, Χρήσιμον γάρ τι ὅμως ἡ πόλις αὐτοῖς ἔχειν ἔδοξεν ἐν τῷ Ἀπόλλωνος ἱερῷ, ὅπερ ἀρχαιότατόν ἐστιν Χαλκηδονίοις* &c. *Cum Chalcedonem venissent (nam id oppidum visum est hac parte non nihil illis conducibile habere) in APOLLINIS TEMPLO quod est apud CHALCEDONIOS ANTIQUISSIMUM* &c. Subjicimus & testimonium de Colonia à Megarensibus deducta, in quo totius asserti nostri cardo vertitur, & ex quo simul patebit, non abs re Luciano Apollinis apud Chalcedenses templum antiquissimum dici, utpote, quòd primi ejus incolæ Megarenses hoc munere Apollinem, etiam ad hujus suæ urbis primordia & incrementum vocaverint, simulque suas origines, simul cum patriæ divinitatis cultu, consecraverint. Verbà THUCYDIDIS sunt: *Ἀφικνεῖται ἐς Χαλκηδόνα τὴν ἐπὶ τῷ στόματι τοῦ πόντου μεγαρέων ἀποικίαν. pervenit* Lamachus *CHALCEDONEM in Ponti faucibus sitam, MEGARENSIUM COLONIAM.* STRABONIS sequentia: *τὸν Ἀπόλλω φασὶ τοῖς κτίσασι τὸ Βυζάντιον ὕστερον μετὰ τὴν ὑπὸ μεγαρέων Χαλκηδόνος κτίσιν χρηστηριαζομένοις προστάξαι. Apollinem ferunt iis, qui CONDITA jam CHALCEDONE à MEGARENSIBUS, Byzantium condiderunt, oraculum suscitantibus mandavisse* &c.



XIII.

XIII.
SYRACUSANI
ſub
ICETA.



Quid vocabulum ΕΠΙΙΚΕΤΑ in aureo Syracuſanorum, quod proponimus numiſmate ſignificet, Neminem ſcio, qui explicatum dederit. ΕΠΗΚΕΤΑ legunt Goltzius & Paruta, & quicunque de eo verba fecerunt. Mihi nummum Cimeliarchii Electoralis Brandenburgici accuratius inſpicienti virgula illa, quæ II in H conjungit, non apparet; prout nec apparet in trigeſimo primo aureorum Parutæ: Indeque conjectura ſubit, hanc vocem non conjunctim ΕΠΗΚΕΤΑ, ſed diviſim ΕΠΙ ΙΚΕΤΑ legendam eſſe, eodem modo, quo ΕΠΙ ΙΕΡΑΚΟϹ *ſub Hierace* in Arzanitῶν numiſmate apud Rev. Harduinum. Licet enim Icetas Leontinorum Tyrannus fuerit, conſtat tamen, eum Syracuſanum Origine, imò & contra Dionyſium juniorem à Syracuſanis evocatum eſſe: Et licet Tyrannidi eorum inhiaret, tamen alio prætextu urbem obſediſſe, eaque præter Inſulam potitum eſſe, eò usque, donec Timoleontis metu Leontium regrederetur. Hæc à DIODORO SICULO & STRABONE latius deducta, ſufficientem conjecturæ noſtræ lucem videntur afferre; Neque mirum eſt, quod Icetas non, ut reliqui Tyranni, βασιλεὺς cognominetur; ad exitum enim rem non perduxit, neque dejecto Dionyſio, Regium apud Syracuſanos culmen aſcendit. Non obſtat, quod Diodoro Siculo *Syracuſanorum Tyrannus* & Δυνάϛης *Princeps* vocatur; hæc enim vocabula non regiæ dignitatis ſunt, ſed poteſtatis perpetuæ, ea in civitate, quæ libertate antea uſa fuerat. De vocabulo *Tyranni*, & Teſtimonio CORNELII NEPOTIS conſtat, &

ex-

exemplo Miltiadis. Hic enim eodem authore *in Cherſoneſo Tyrannus erat appellatus, regiamque dignitatem obtinuit, quamvis careret nomine.*

XIV.
ΑΚΡΑΓΑΣ ΝΥΜΡΗΑ.



CApur, hoc Numiſmate expreſſum, Goltzius in Indice conjicit eſſe Demaretæ, Theronis filiæ, à qua Demareteus nummus fuit. Mihi id mirum videtur, idque ea potiſſimum ratione, quod Demaretæ effigies, ſi in numiſmatibus expreſſa fuit, expreſſa procul dubio fuit in nummis ab ea cognominatis, in quorum numero propoſitum ut colloces, adſcripta magnitudinis menſura impedit, quæ vix 2. drachmas adæquat, cùm tamen Demareteus nummus X. drachmarum fuerit. Quid dicemus? an caput hoc PROSERPINÆ tribuemus? an PUDICITIÆ? an JUNONI LUCINÆ? an CONCORDIÆ? Concordiæ templum Lilybetani ab Agrigentinis victi ex fœdere erexere. Templum Junonis Lucinæ peſſum dedit Gelliæ deſperatio, nobilitavit Deæ ſimulacrum, Zeuxidis opus, quod ad exemplum quinque præſtantiſſimarum virginum expreſſerat. Fanum Pudicitiæ omnium, excepto Jovis Olympici, maximum erat, & celeberrimum. Templum Proſerpinæ tanta Anacalypteriorum & Theogamiorum veneratione colebatur, ut hinc Lyrico Agrigentum *Proſerpinæ ſedes* vocetur. Sed de Concordia, Junone & Pudicitia nulla lis eſſe poterit; Concordia enim comas lauro nexa Ovidio canitur, quod in propoſito ſecus eſt: Junonem abſentia ſceptri arcet: Pudicitiam arcet veli defectus: De Proſerpina dubitari poſſet, niſi adſcriptæ literæ AKP. potius ad AKPA*γαντα*, Nymphæ ſub Schemate præfiguratam, reſpicere juberent. Urbes fœminea ſpecie vel centena numiſmata exhibent; Sed id Agrigentum peculiare habet, quod

quod non turrito capite, sed splendidæ cujusdam Reginæ forma prodeat, plane qualem Pindarus allocutus est, in Pyth. Od. XII.

Αἰτέω σε Φιλάγλαε καλλίστα βροτεᾶν πολίων,
Φερσεφόνας ἕδος, ἅ-
τ' ὄχθαις ἐπὶ μηλοβότου
Ναίεις Ακράγαντος ἐΰ
δματον κολώναν, ὦ ἄνασ-
σ' ἵλαος, Ἀθανάτων,
Ἀνδρῶν τε, σὺν εὐμενείᾳ,
δέξαι στεφάνωμα. &c.

Rogo te, O SPLENDORIS AMICA, PULCHERRIMA humanarum urbium, Proserpinæ sedes, quæ ad ripas pecorosi inhabitas Agrigenti, bene ædificatum collem. O REGINA Propitia immortalium hominumque, cum benevolentia accipe coronam &c.

Ad hæc Pindari addantur & Scholiastæ verba: *ὁ λόγος ἀπόστασις τοῦ πινδάρου πρὸς τὴν* ΗΡΩΙΔΑ ΤΗΝ ΑΚΡΑΓΑΝΤΑ, *ἢ καὶ τὴν Ακράγαντα πόλιν.* Et paulo post: *ἥτις ἐν ταῖς ὄχθαις τοῦ προβατοτρόφου Ακράγαντος, τὴν εὐκατασκεύαστον Ακράγαντα τὴν ὁμώνυμον σαυτῇ οἰκεῖς πόλιν.*

Hæc quam concinne opinioni faveant nemo non videt. Unicum addimus: eleganter scilicet Agrigentum Heroinæ, & Reginæ sub forma surgere, cum Acragas fluvius sub forma pueri, ÆLIANO teste, fuerit effictus.

XV.
NAUPLIUS.



NOn dubito, conjecturam de *Nauplio*, quam hîc in medium adducimus, primo adſpectu minus probabilem viſum iri, quòd Eubœæ ille fuerit Rex, & facinore ſibi famam circumpoſuerit, inter Græcas urbes potius abolendo, quam duraturis ad æternitatem monumentis conſecrando.

Quicquid ſit, juvabit tamen rationes pro eo militantes trutinare, libero Lectoris arbitriò, an ſatis validas, an vero rejiciendas cenſeat. Princeps argumentum, quod Nauplium arguit, eſt habitus figuræ, monti inſiſtentis, facemque præferentis; Is enim habitus planè convenit cum habitu Nauplii, quo revertentem à Troja Græcorum Claſſem ſubdola face in aſperrimos ſcopulos pellexit. Audiamus HYGINUM: *Ilio Capto*, inquit, *& diviſa prædâ, Danai cum domum redirent, ira Deorum, quod fana ſpoliaverant, & quod Caſſandram Ajax Locrus à ſigno Palladio abripuerat, tempeſtate & flatibus adverſis ad Saxa Capharea naufragium fecerunt, in qua tempeſtate Ajax Locrus fulmine eſt à Minerva ictus, quem fluctus ad ſaxa illiſerunt, unde Ajacis Petræ ſunt dictæ. Cæteri noctu cum fidem Deorum implorarent, Nauplius audivit, ſenſitque, tempus veniſſe ad perſequendas filii ſui Palamedis injurias. Itaque, tanquam auxilium eis afferret, FACEM ARDENTEM eo loco EXTULIT, quo ſaxa acuta & locus periculoſiſſimus erat. Illi credentes humanitatis cauſa id factum, naves eo duxerunt: quo facto plurimæ earum confractæ ſunt, militesque plurimi cum Ducibus tempeſtate occiſi ſunt, membraque eorum cum viſceribus ad ſaxa illiſa ſunt; ſi qui autem potuerunt ad terram natare, à Nauplio interficiebantur.*

Ex

Ex his facem ardentem extendentis, qualiter in numismate cernitur, ad oculum patet habitus. Suffragatur & PROPERTIUS Lib. IV. El. I. Trojam affatus:

Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuviis, Græcia pressa, tuis.

Ausonius ex montis vertice id actum, qui & ipse in numismate visitur, haud obscurè innuit, in Monosyll.

Ultrix flagravit de rupibus Euboicis fax

& clarius adhuc Servius L. XI. Æn. pag. 632. ad verba: Ultorque Caphareus. *Ultor*, inquit, *ideò dixit, quod Nauplius Palamedis Pater dolens filium suum factione interemptum, cum videret Græcos laborare, montem Caphareum ascendit & ELATA FACULA signum dedit vicini portus, qua re decepti Græci inter asperrimos scopulos naufragium pertulerunt.*

Sed hæc utique patent: Non æque ratio, cur Nauplius in numismate Buthrotiωn credi debeat expressus. Neq; enim Euboicorum vel coloni vel vicini fuerunt: & quid hominem jactarent toti Græciæ damnosum? Quid facem, quam Hyginus inter sceleratas reposuit? Dicam quod rem esse existimo: Buthrotum quidam à Buthroto conditore denominatam ferunt: Alii vero, ut Teucer Cyzicenus apud Stephanum, Helenum, ajunt, versus occasum navigantem, cum in Epiro ἀποβατήρια sacrificaret, & bos Victimarii manus effugisset, & per pontum ad hunc usque sinum perveniens, hærente in cervice vulnere eò loci moribundus procubuisset, velut fato quodam monitum, Buthroto nomen ex facto imposuisse. OVIDIUS Helenum Buthroti *Regem* facit.

– – *regnataque Vati*
Buthrotos Phrygio.

facit & Vatem, eodem modo, quo & VIRGILIUS l. 3. cui etiam *interpres Divum* audit;

Trojugena interpres Divum, qui numina Phœbi
Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ.

Scilicet Helenus, qui Buthroto nomen dedit, & Vates & Rex fuit, imò & vaticinia ei Regnum peperére. Audiamus eundem Servium ad lib. II. pag. 232. *Helenus*, inquit, *apud Arisbam captus à Græcis est: Et indicavit coactus fata Trojana, in*

 qui-

quibus etiam de Palladio. Unde dicitur à Pyrrho regna meruisse: quanquam præstiterit Pyrrho, ut rediret per terram, dicens, omnes Græcos (quod & contigit,) naufragio esse perituros. En Helenum Vaticiniis regna merentem! En regna merentem à Pyrrho! an quod fata Trojana, & inter ea quoque de Palladio prodiderit? Atqui hoc Diomedem potius, aut Ulyssem concernit, qui Palladium abstulére: An quod Pyrrho præstitit, ut rediret per terram, dicens, omnes Græcos, quod & contigit, naufragio esse perituros? Id non abs ratione credideris; Vita enim regno carior est. Regnum igitur, & in eo Buthroti possessionem vaticinio obtinuit, non quovis, sed eo, quo Naufragium, Nauplii astu Græcis exitiosum prædixit, Pyrrhum servavit, & immensam spiritus fatidici sibi gloriam circumposuit.

Hæc cum ita sint, jam adeò absurdum non erit, si Nauplium in Buthrotiων numismatibus fateamur; Licet enim fax ejus scelerata fuerit, Buthrotii tamen non notiore signo gloriam Conditoris sui adumbrare potuerunt, quam vulgato scelere, cujus effectum prædicendo, & gloriam meruerat, & regnum: Eodem plane modo, quo in Corinthiorum numismatibus non tantum Bellerophontem Chimeram debellantem conspicimus, sed & Chimeram solam, licet monstrum hoc non minoribus à Corintho spaciis absuerit, quam absuit ab Eubœa Buthrotus.

Hæc dum dico, nummumque juxta considero, subit conjectura, mera illa quidem, sed tamen forsitan non respuenda: Scilicet, annon Buthrotii credendi sint, non tantum Numismate Nauplium vulgâsse, sed & ipsius statuam monti suo cum face imposuisse, eaque Phari instar usos esse? Id ut arbitreris, Buthroti situs poterit suadere, de quo VIRGILIUS

Celsam Buthroti adscendimus urbem.

& Interpres ejus SERVIUS: *Posita est,* inquit, *Buthrotus in saxo, quod mari cingitur:* Poterit suadere columna, quam non tantum monti impositam, sed etiam, cui Nauplium acclinem & innixum cernimus, quod in colossis solet, ne pondere corruant.

Sed hæc, ut dixi, mera conjectura sunt, & si nec in superioribus fidem fecero; attamen rem ulterius examinandi subministravero occasionem.

XVI.

XVI.
ΚΥΘΝΙΟΙ ΤΥΡΟΙ
CASEI CYTHNII.



FOeminam in Siphniorum numiſmate cum facula & cane gradientem Rev. HARDUINUS Dianam venatricem facit, & rectè. Eadem omnino facula, idemque canis Venaticus occurrit etiam in propoſitis, unde neſcio an errare poſſim, ſi caput muliebre eidem Dianæ adſcribam; Licet enim aperto idonei Authoris ſuffragio hactenus deſtituar, mirum tamen videri non debet, Inſulam divinis incunabilis vicinam, Deæ honorem habuiſſe, cùm & cæteræ Cyclades id fecerint, cùm & Jupiter Pater, apud CALLIMACHUM, *Tredecim Urbes, & turrim non unam, Dianæ ſe daturum*, polliceatur: *Tredecim urbes, quæ ſolam Dianam invocant: Urbes multas, tam mediterraneas, quàm inſulas, communiter cum aliis dimetiendas, in quibus omnibus Dianæ aræ & nemora ſint.*

Sed de his præcipuus nobis ſermo non eſt. Caſei in mentem veniunt, qui apud Cythnios tantæ præſtantiæ fiebant, ut non abs ratione Doctiſſimus BOCHARTUS inde Nominis Etymon deduxerit. *Cythno*, inquit, *videri queat nomen feciſſe* קטנות *Katnuth PARVITAS, nam exigua eſt inſula. Tamen aliud ſuccurrit, quod licet minus obvium, fortaſſe multò eſt verius.* Κύθνιος τυρὸς

 CY-

CYTHNIUS CASEUS fuit olim valdè celebris. Ita observant Stephanus & Eustathius, ubi de Cythno. Et à Polluce lib. 6. cap. 10. Τυρὸς κύθνιος τε καὶ Σικελικὸς, *Caseus Cythnius & Siculus censentur inter* Τὰ παρὰ τοῖς παλαιοῖς ἐδέσματα εὐδόκιμα *cibos apud veteres maxime probatos;* & paulò post: *Propter Casei dotes Cythnius phœnicice, ut suspicamur, dicta est Insula* גובנא *Gubna vel Guphno, quomodo Syri hanc vocem efferunt, id est Insula Casei.*

Quorsum hæc, inquis? Non ut Etymologiam defendam, cum alii à Cydno conditore eam deducant; sed ut ostendam, Caseos Cythnios in propositis nummis effigiatos nobis non absurde videri. Caseos quinq; sub quinq; minutis circulis intelligimus, sub circulo majore intelligimus orbem sive pateram, quibus Casei imponi solent. Minuti proculdubio erant, utpote ex lacte ovium, quod ex Vicina Cio intelligas, cujus casei non minus ac Cythniorum eodem sub nomine, venibant, de quibus Ælianus lib. 16. cap. 32. de animalibus, ex Æschylidis libris de re rustica memorat, *oves in solo sterili Cytiso, ficus & oleæ foliis, siliquis & spinis nutritos lac emittere, ex quo fiat CASEUS PRÆSTANTISSIMUS, vocari autem CYTHNIUM, ejusque Talentum venire Drachmis centum & nonaginta.*

De Cythno notum est, esse Insulam juxta Atticam sub Eubœa, Ceæ vicinam, Dianæ fano memorandæ, uti apparet, ex ANTONINO LIBERALI Metam. fab. 1. Notum est, antiquitus habitatam, utpote quam Amphitruo everterit, unde postea proverbium Κυθνώδεις Συμφοραὶ *Cythniæ calamitates*, de quo SUIDAS & ERASMUS. Notus est & Cydnius pictor, apud STEPHANUM BYZANTINUM, quem Cydiam dictum, cujusque tabulam *Argonautas* Hortensium Oratorem mercatum, eique ædem in Thusculano suo fecisse, PLINIUS Author est; sed inter alios Græcos ad Plateam contra Mardonium etiam Cythnios stetisse, quod Pausanias refert: Sed Aristotelem Κυθνίων πολιτείαν scripsisse, quam Harpocration citat, haud forsitan adeò vulgare arbitraberis. Utrumque sane documento est, etiam de hac Insula posse dici, quod Callimachus in Delum cecinit:

Ἅπασαι κυκλάδες αἳ Νήσων ἱερώταται ἐν ἁλὶ κεῖνται
Εὔυμνοι.

Omnes Cyclades, quæ sacratissimæ in mari jacent, laudibus refertæ sunt.

XVII.

XVII.
HYDRIA ARGENTEA.
Opuntiorum donum.



VAsculum, quod hoc in nummo occurrit, GOLTZII interpres silentio præterit. Rev. HARDUINUS Cantharum interpretatur, aitque, argumento eum esse, quod Libero Patri ager ille sacer fuerit, & Vini ferax, eo quod uva & hedera ex vase hoc emergant. Mihi *Hydria* videtur, & ea quidem, quam ex collecta Tyrannorum Phocensium, qui sacra Apollini donaria conflaverant, pecunia argenteam Opuntios fecisse, Deoque rursus consecrasse, apud Plutarchum de Pythii oraculis legimus. En verba! *Ἄξιον δὴ καὶ τῶν πόλεων εἴ τι τοιοῦτον ἐστιν ἀνάθημα τιμᾶν καὶ ἄγασθαι, οἷον τὸ Ὀπουντίων. ἐπεὶ γὰρ οἱ Φωκέων τύραννοι πολλὰ τῶν χρυσῶν καὶ ἀργυρῶν ἀναθημάτων συγχέαντες ἔκοψαν νόμισμα καὶ διέσπειραν εἰς τὰς πόλεις, Ὀπούντιοι συναγαγόντες ὅσον ἀργύριον, ὑδρίαν ἀνέπεμψαν ἐνταῦθα τῷ θεῷ καὶ καθιέρωσαν.* *Dignum est etiam urbium, si qua sunt talia donaria, ea venerari. Quale imprimis est Opuntiorum. Cum enim Phocensium tyranni multa aureorum & argenteorum donariorum conflavissent, & ex ea massa cusam monetam per urbes dispersissent, OPUNTII tantam collegère, ut HYDRIAM ex ea ARGENTEAM conficerent, eamque heic dedicaverunt.* Hæc quam apposite nummum nostrum explicent, nemo non videt. Neque enim dubium ab *uva* & *hedera* deduces, quòd vas vinarium eæ videantur designare, cum hydria ex Etymologia potius aquaticum sit. Constat enim non tantum aquis, sed etiam aliis liquoribus inservîisse. Unicum testimonium, sed quod rem proxime tangit, ex JULIO POLLUCE adjicimus: *Ἐν δὲ τοῖς ἀγγείοις τιθείη τις ἂν καὶ ἃς εἴρηκεν Ἀριστοφάνης ἐν ὁλκάσιν ὁλκὰς οἴνου. ἐν δὲ τῷ Γήρᾳ*

Ἐφ' ὑδρίαν δανείζειν πεντάχουν, ἢ μείζονα.

ἕως τῷ

ὥς τε οὐ μόνον ὕδατος, ἀλλὰ καὶ οἴνου ἀγγεῖον ἡ ὑδρία ἦν. hoc est interperte Rod. Gualthero: *Inter vasa quoque referantur, quas* ARISTOPHANES, *in Holcadibus, HOLCAS VINI vocavit, & in Senectute*

Urnam mutuo dare quinque chus capientem
aut majorem.

adeo, ut HYDRIA non aquæ modo, sed & VINI VAS fuerit.

XVIII.
MINERVA HIPPIA.



Figuram galeatam, & cum jaculo juxta Equum, stantem LUD. NONNIUS Militem interpretatur, eo quod Equestri gloria Bisaltæ floruerint, valdeque fuerint bellicosi. Gloriam Equestrem non negabo. Mos Equis propriis venam incidendi, sanguinemque cum lacte concreto bibendi, cujus Virgilius III. *Georg.* testis est, rem abunde demonstrat. Si vir in numismate esset, adducerem & Livium, qui *Bisaltas fortissimos viros* facit; Sed fœminam habitus prodit, idem plane, qui Amazonum solet esse: Idem, qui & Romæ terrarum Dominæ, gentiumque Deæ, quæ Claudiano teste

Innupta ritus imitata Minervæ
dextrum nuda latus niveos exerta lacertos
audacem retegit mammam -- --
-- -- galeaque minaci
flava cruentarum prætenditur umbra jubarum.

Quæ verba non tantum Romæ quadrant, sed & figuræ in numismate Bisaltarum expressæ; adeo, ut vel hinc conjectura subeat, non tam virum, quam fœminam eo exhiberi. Si vir esset, haud forsan absurdè *BISALTEN* statuerem, Solis & Terræ filium, à quo Bisaltiæ nomen descendere, *STEPHANUS* Author est; Sed cum fœmina sit,

virum, quam fœminam eo exhiberi. Si vir esset, haud forsan absurde *BISALTEN* statuerem, Solis & Terræ filium, à quo Bisaltiæ nomen descendere, STEPHANUS Author est; Sed cum fœmina sit, *Minervam* arbitror, non quamvis, sed *Hippiam*. Cùm Ill. PATINUS, & post eum Rev. HARDUINUS in hoc Gortyniorum numismate



Minervam hippiam agnoverint, galeâ absente, multo magis in numismate Bisaltarum agnoscenda erit eadem, cum non tantum solitis insignibus, Casside & hastili, fulgeat, sed & adumbret originem coloniæ ab Atheniensibus in Bisaltiam deductæ. Minervam Hippiam Athenis cultam, luculentus Author PAUSANIAS tradit. Bisaltam Atheniensium coloniam esse, docet PLUTARCHUS in Pericle. Χιλίες μεν ἔξειλεν εἰς χεῤῥόνησον κληρύχες, εἰς δὲ Νάξον πεντακοσίες, εἰς δὲ Ἄνδρον ἡμίσεις τέτων, εἰς δὲ θρᾴκην χιλίες Βισάλταις συνοικήσαντες. *Mille colonos chersonesum misit: Naxum quingentos: Andrum ejus dimidium. In Thraciam mille adscripsit BISALTIS, &c.*

XIX.
THEBANI
Scutiferi.



SCutum in Thebanorum, imò & reliquorum Bœotorum Numismatibus Nonnius ad Herculis factum refert, quo arma ex

 tem-

templis auferens Thebanos ab Ergini & Minyarum dominatu in libertatem legitur vindicasse; Lectorem tamen dispicere jubet, si quid certius occurrat. Rev. Harduinus ad Thebanorum fortitudinem respicit, quod Epaminondas aliique vulgò noti sint. Forsan ad Scutum Herculis respicias, quod elegantissimo carmine celebravit Hesiodus, præsertim cum clava imposita id determinare videatur; Sed figuratum id erat, & Poëtico magis, quam historico cælatum genio. Tutius Thebanos Scutis hujusmodi usos asserueris, non vana conjectura, sed idoneo nobilissimi Authoris testimonio. Cadmeos sive Thebanos *Φερεσσάκεας, Scuta ferentes* appellat idem Poeta, v.13:

Ἐς θήβας ἱκέτευσε φερεσσάκεας καδμείους,

Thebas venit supplicans SCUTATIS CADMEIS.

Ubi Joh. Tzetz. Ἐς τὰς Θήβας προσέφυγεν ἐπὶ τοὺς πολεμικοὺς καδμείους, ἢ ἐπὶ τοὺς ἔχοντας μεγάλας Ἀσπίδας. *Thebas profugit ad bellicosos* CADMEOS *vel ad* MAGNOS CLYPEOS HABENTES. Adde & v. 24:

Βοιωτοὶ Πλήξιπποι ὑπὲρ Σακέων Πνείοντες.

Boetii Equitando insignes supra CLYPEOS animum gerentes.

In tantum, scilicet, Scutorum apud Thebanos invaluit usus, ut & Pindarus Thebanam urbem, cujus Statuam Pausanias in Messeniacis memorat, & ipsam *χρυσάσπιν, aureum Clypeum gestantem*, vocaverit in Istm. Od.1. pr. adeò, ut non omninò satisfaciat, quod Interpretes in genere de armis id intelligant, nisi speciem unam pro omnibus positam contendas. Cataphractos certè fuisse ex Homero discas, cui Bœotii *χαλκοχίτωνες* memorantur, Il. o. v. 330:

Τὸν μὲν βοιωτῶν ἡγήτορα χαλκοχιτώνων.

Hunc quidem Bœotiorum Ducem æreas tunicas habentium.

XX.

XX.
MERCURIUS EPITHALAMITES,
Et Galli Chalcidici.



DE hoc Caryſtiων numiſmate, inter Golziana propoſito, licet non taceat interpres Nonnius, tamen rationem, cur Mercurius & Gallus in eo fulgeant, non ſuggerit. Similiter nec Rev. Harduinus, niſi quod Gallum ad cultum Solis referat, cui hæc avis ſacra fuerit. Qvod de Gallo dicit, licet ex Pauſania aliiſque Authoribus conſtet, vereor tamen de propoſito numiſmate aſſerere, cum ſi non alia ratio foret, potius ad Mercurium pertinere poſſet, Cujus in adverſa effigies viſitur; Sed de hoc priore loco dicendum. Mercurium agnoſcis ex habitu. Mercurium *Epithalamiten* conjicimus ex loco ſignaturæ & authoritate Heſychii. Locus ſignaturæ eſt Caryſtus urbs Eubœæ, & in Eubœa Mercurium Epithalamiten cultum Heſychius teſtatur: Ἐπιθαλαμίτης. Ἑρμῆς, inquit, Ἐν Εὐβοίᾳ. Quid ſub vocabulo Ἐπιθαλαμίτης deſignetur, obſcura apud Authores ratio eſt. LILIUS GYRALDUS quidem nuptialem interpretatur, & poſſet fortaſſis ei ſuccurrere MARCIANUS, qui de Nuptiis Mercurii librum inſcripſit. At *Epithalamiten*, imò vero & *Thalamitην* quis hactenus pro nuptiali poſuit? Ἐπιθαλαμίτην niſi apud HESYCHIUM, nullibi, quod ſciam, legimus. Θαλαμίτην autem ARISTOPHANIS SCHOLIASTES nõ ad nuptias refert, ſed de remige inferioris ordinis interpretatur, ἦσαν τρεῖς τάξεις τῶν ἐρετμῶν. Καὶ ἡ μὲν κάτω θαλαμίται. Θαλαμίτης ὁ πρὸς πρώραν.

πρώραν. *Tres erant Remigum ordines. Inferior* θαλαμί). *Item* Θαλαμίτης *ad proram.* Quæ tamen Bayfius, notante STEPHANO, ſecum pugnare ſcribit, ut quæ Θαλαμίτας ad proram collocent, & tamen Inferioris ordinis remiges eſſe velint, ideoque θαλαμίτην ſolum eum dicit eſſe, qui ad proram remigat; Sententiam ſi admittas, ex bonæ Compoſitionis Regula Ἐπιθαλαμίτην Mercurium eum credideris, qui proræ remigibus præeſt, adeoq; Deum agnoſces non terreſtrium tantum, ſed & maritimorum itinerum Principem, id quod vel ideò forſan non adeò abſurdum videbitur, quia Aſtrorum cognitio, cujus ſecundum Manilium Cyllenius Author creditur, navigantibus maximè neceſſaria eſt, & tantum non unica viarum maritimarum Cynoſura eſt. Sed hæc politiori judicio relicta ſunto.

De Gallo adhuc dicendum; Mercurio ſacrum, ejusque Aſſeſſorem eſſe, ipſe Gallus apud Lucianum fatetur. Rationem tradit Mythologia, quod Literati & negotiatores, quorum Deus Mercurius eſt, Vigilare neceſſe habeant. In numiſmate non Mythica tantum, quæ & in aliis Antiquitatis monumentis, quorum haud rara paſſim exempla proſtant, ſed concurrit etiam hiſtorica, cùm Galli Chalcidici in Chalcide Eubœæ urbe, haud procul à Caryſto diſtante, frequentes, & ob pulchritudinem pugnacitatemque celebres memorentur, licet ad prolificationem fuerint ineptiores. M. Varro Lib. III. de Re ruſtica aſſerti Author eſt: Nec tamen ſequendum in Seminio legendo tanagricos, inquit, ac Medicos ac Chalcidicos, qui ſine dubio ſunt pulchri, & ad præliandum inter ſe maximè idonei, ſed ad partus ſunt ſteriliores.

XXI.
VENUS DEXICREONTIS.



Sami

SAmi nomen cum tribus insulis urbique Elidis commune fuerit, forsitan haud abs ratione quæsiveris, ad quam referendum sit, quod proponimus, Samiorum numisma. Goltzius, eumque secutus interpres Nonnius Insulæ addicit, & Hic quidem ei, quæ vulgò Jonica dicitur, Junonique sacra fertur. Judicium fulcit Junonis effigie & Junonia ave, in eo, meâ quidem opinione, nimius, quod & effigiem numismatis hujus Junoni addixit, cum tamen nec Sceptro ea, nec corona, imò nec ullo alio Junonis ornatu insignis sit. Aversæ avem & sceptrum minus rectè in subsidium adduxerit, cum Sceptrum, si effigiem Junoni vindicet, procul dubio ei affixum fuisset, ut etiam in nummo sequenti. Et quid? Nonne & caduceus Mercurii præter Pavonem & Sceptrum in aversâ visitur? Hic si caput adversæ non vendicet Mercurio, qui Pavo & Sceptrum eam vendicabit Junoni? Pavo & Sceptrum Junonis honori fulgent, cujus cultus in hac Insula, ut vulgo notum, celeberrimus fuit. Caduceus fulget honori Mercurii, quem sub *Charidotæ* cognomine in Samo cultum, ex Plutarcho, in Quæst. Græc. constat. Ar Caput adversæ serto redimitum, mea quidem Sententia, aliud non est, quàm Veneris Myrto revinctæ. Veneris certè ædem in arundinibus & Palustribus dictam, Sami fuisse Athenæus Author est: Et de Venere Dexicreontis memorat Plutarchus. Utriusq; Verba subjicimus, ut rei fides pronior sit: Athenæi hæc sunt: Ἄλεξις ὁ Σάμιος ἐν δευτέρῳ ὅρων Σαμιακῶν τὴν ἐν Σάμῳ Ἀφροδίτην, ἣν οἱ μὲν ἐν καλάμοις καλοῦσιν, οἱ δὲ ἐν ἑλαιαλικοῖς φησιν, ἑταῖραι ἱδρύσαντο αἱ συνακολουθήσασαι Περικλεῖ, ὅτε ἐπολιόρκει τὴν Σάμον, ἐργασάμεναι ἱκανῶς ἀπὸ τῆς ὥρας. *Alexis Samius libro secundo de Samiorum finibus scribit*, ÆDEM VENERIS IN SAMO, *quam* IN ARUNDINIBUS *quidam vocant*, *alii* IN PALUSTRIBUS, *meretrices Periclem secutas, cum obsideret Samum, ædificasse, ingenti quæstu prostituta forma ditatas.* Hæc apud Athenæum lib. XIII. Plutarchi sequentia sunt: Τίς αἰτία δι' ἣν ἐν Σάμῳ τὴν Δεξικρέοντος Ἀφροδίτην καλοῦσι; πότερον, ὅτι τὰς γυναῖκας αὐτῶν ὑπὸ τρυφῆς καὶ ὕβρεως ἀκόλαστα ποιούσας, Δεξικρέων ἀνὴρ ἀγύρτης καθαρμῷ χρυσάμενος ἀπήλλαξεν; ἢ ὅτι ναύκληρος ὢν ὁ Δεξικρέων ἔπλευσεν εἰς Κύπρον ἐπ' ἐμπορείᾳ, καὶ μέλλοντα γεμίζειν, τὴν Ἀφροδίτην κελεύειν ὕδωρ ἐμβαλόμενον, καὶ μηδὲν ἄλλο πλεῖν τὴν ταχίστην. Πει-

θεὶς

θεὶς δὲ καὶ πολὺ ὕδωρ ἐνθέμενος ἐξέπλευσεν, εἶτα νηνεμίας καὶ γαλήνης ἐν τῷ πελάγει καταχύσης, διψῶσι τοῖς ἄλλοις ἐμπόροις καὶ ναυκλήροις ὕδωρ πιπράσκων, ἀργύριον πολὺ συνήθροισεν· ἐκ δὲ τούτου κατασκευάσας τὴν θεὸν, ἀφ' ἑαυτοῦ προσηγόρευσεν. *Cur in* SAMO DEXICREONTIS VENEREM *invocant, an quod Samias mulieres, cum præ luxu & luxuria libidini indulgerent, Dexicreo Circulator, piacularibus quibusdam ritibus adhibitis, Vesania ista solvit? aut verius est, quod dicitur? Dexicreo cùm esset nauclerus Samius mercaturæ faciundæ gratia in Cyprum navigavit. Eum jam navem oneraturum Venus nihil aliud importare, quam aquam jussit, & illico avehi. Paruit Consilio, multaq; imposita aqua solvit. Mox cum altum ventorum silentium & tranquillitas in mari obtinuisset, reliquis mercatoribus & naucleris situ laborantibus, aquam divendens multum corrasit argenti. Itaque Deæ simulacrum à se nominatum dedicavit.*

XXII.
VENERIS CUM ANCHISE CONCUBITUS.



De Venere Samiorum modo diximus; de Veneris cum Anchise congressu, quem in proposito eorundem, uti ex adjecta Junone patet, intuemur numismate, paucis adhuc dicendum. Idem planè trium figurarum habitus etiam, in Juliorum numismate prostat: Nec hactenus dubium fuit, quin in honorem Cæsaris, ex Julo Veneris Nepote oriundi, Veneris cum Anchise, ut diximus, congressus, iis adumbretur, adeò, ut de re ipsa, tanquam nota,

ta, laborandum non videatur, ſed potiùs diſpicienda ratio, Cur Samii numiſmate eam expreſſerint? An ut & ipſi Cæſaris Gloriæ litarent? Atqui vix id egerint eo typo, qui nihil ad ſe pertinebat? An Trojanorum conſuluerint memoriæ? Sed quid Samo cum Troja? Dicam quod ſentio; Vel hoc numiſma Samo-Thracum eſt, vel Samii Samo-Thraciæ decora, ut ſuam gloriam extollerent, ſimulq; Romanis adularentur, mutuati ſunt. De Samo-Thracibus docet Servius lib. 3. Æn. ad verba, *Penatibus & magnis Diis*, Deos magnos cœlum & terram putari; ac per hos Jovem & Junonem Deos Penates à Samothracia ſublatos, & ab Ænea in Italiam advectos eſſe, Indeque *Samothraces Cognatos Romanorum* dici. En Samothraces Cognati Romanorum! quid mirum ergo, ſi divinam Romanorum originem eo typo celebraverint, qui cognationis Romanos admonere poterat? quique ſimul & Regionis ſuæ ſitum indicaret?

Ἐνλεῦθεν γὰρ Ἐφαίνετο πᾶσα μεν Ἴδη,
Φαίνετο δὲ Πριαμοῖο πόλις καὶ νῆες Ἀχαίων.

Inde Ida videbatur tota & Priameia tecta,
Et Grajûm naves.

Ida tota, in qua Venerem cum Anchiſe concubuiſſe Poëtarum aſſertum eſt, Ovid. in Epiſt.

Phryx erat Anchiſes volucrum cui Mater Amorum
Gaudet in Ideis concubuiſſe jugis.


Et quid ſi Trojanorum etiam cum Samothracibus cognatio in mentem veniat? Jaſion & Dardanus fratres, Strabone teſte, Samum Thraciam habitarunt, quorum ille ob peccatum in Cererem, fulmine cum periiſſet Dardanus, *ἀπάρας, ἐκ Σαμοθρᾴκης ἐλθὼν ᾤκησεν ἐν τῇ ὑπωρείᾳ τῆς Ἴδης τὴν πόλιν Δαρδανίαν καλέσας. Καὶ ἐδίδαξε τοὺς Τρῶας τὰ ἐν Σαμοθρᾴκῃ μυστήρια. Ex Samothracia profectus in vicinia Idæ Dardaniam Urbem ædificavit, Trojanos Samothracum Myſteria docuit.*

Sed ais, in numiſmate non Samothracum, ſed Samiorum nomen occurrere, adeoque numisma horum potius videri? Reſponderi poſſet ex eodem Strabone: Sami nomen etiam Samothraciæ olim

olim datum esse, sed si quis ob Junonis caput, Samiq́ue Jonicæ celebritatem, non Samothraciæ numisma tribuat, sed Samo, nec huic refragabimur, modo agnoscat, notissimum Samothraciæ decus, non minore audacia suæ gloriæ Samios attexuisse, quam attexuerunt Vetustatem & ortum, Samothraces à Samiis oriundos mentientes, quos tamen Geographus lib. 10. graphicè refutat.



PRIMUM





RIMUM hactenus Viridarii nostri exegimus segmentum, recensendo Numismata qvædam, quorum interpretatio haud adeò videbatur apparere. Nunc ad SECUNDUM transimus, contemplaturi *Gemmas*, numero quidem paucas, sed vel raritate spectabiles, cùm pars *ex Thesauro*, heu quondam! *Palatino* deprompta, hactenùs autem vulgata non sit; vel denuò interpretationis novitate, quæ ab aliis jam vulgatas in Theatrum rursùs adducere jubet: Palatinas præmittimus.

I.
PEGASUS,
Hippocrenen in Helicone aperiens.



In Cameo.

PEgasum, Neptuni & Medusæ Filium, inde dictum, HESIODUS ait, quòd ad Oceani fontes natus sit. BOCHARTUS ab Ebraico vel Syriaco פג *Pag*, vel *Paga*, quod *frenum* significat, & סוס *Sus*, quod *equum* sonat, compositum *Pegasus* de-

ſcendere arbitratur, eò quod ἵππος χαλιναγωγούμενος is fuerit. Frenum Pegaſo Minervam injeciſſe, indeque χαλινῖτιδα dictam, ex PAUSANIA conſtat. An autem inde nomen ipſius Pegaſi deſcendat? haud forſan abs ratione dubitaveris; neq; enim ab eo demùm tempore nomen ſuum accepit, quo freno domitus eſt, neque deinceps frenum patienter tulit. A fonte ἀπὸ τῆς πηγῆς dictum, vel ideo potuis credas, quòd non tantùm ad Oceani fontes natus ſit, ſed & aperto in Helicone fonte, quem ab eo *Hippocrenen* dixêre, ortum ſuum denuò inculcaverit. Res in Gemma noſtra ad oculum patet, nec deſunt Poëtarum teſtimonia. Aratus in Apparentib. verſ. 215. ſeqq. ἱερὸς ἵππος.

Κεῖνον δὴ καὶ φασι καθ' ὑψηλοῦ Ἑλικῶνος
Καλὸν ὕδωρ ἀγαγεῖν εὐαλδέος ἵππου κρήνης
Οὐ γάρ πω Ἑλικὼν ἄκρος κατελείβετο πηγαῖς,
Ἀλλ' ἵππος μὶν ἔτυψε τὸ δ' ἀθρόον αὐτόθεν ὕδωρ
Ἐξέχυτο πληγῇ προτέρου ποδός. Οἱ δὲ νομῆες
Πρῶτοι κεῖνο ποτὸν διεφήμισαν ἵππου κρήνην.

Sacer equus.
Hunc etiam ajunt in excelſo Helicone
Pulchram aquam produxiſſe largi Equi fontis;
Nec unquam enim Helicon ſummus deſtillarat fontibus,
Verùm Equus ipſum feriit, atque copioſa inde aqua
Effuſa eſt ictu prioris pedis; Paſtores autem
Primi hunc potum appellarunt EQUI FONTEM.

Ictu prioris pedis, inquit, & in eo cum Gemma noſtra non convenit. Latini pedem non determinant. Apud OVIDIUM Metam. 15. Tritonia

Virgineum Helicona petit, quo monte potita
Conſtitit, & doctas ſic eſt affata Sorores:
Fama novi fontis noſtras pervenit ad aures,
Dura Meduſæi quem præpetis ungula rupit.

Cui Urania:

Vera, inquit, *fama eſt, & Pegaſus hujus origo*
Fontis, & ad latices deduxit Pallada ſacros,
Quæ mirata diu factas pedis ictibus undas, &c.

Adda-

Addamus & HYGINUM in Poët. Aſtron. II. de Equo, *Hunc*, inquit, *Aratus & alii complures Pegaſum Neptuni & Meduſæ Gorgonis filium dixerunt, qui in Helicone Bœotiæ ungula ſaxum feriens, fontem aperuit, qui ex ejus nomine* HIPPOCRENE *eſt dictus*. En Saxum! quod apprimè cum gemma noſtra convenit; forſitan & tempus facti deſideres. PELIGNUS Poëta & hoc ſuppeditat.

Jamq; indignanti nova frena receperat ore,
Cum levis Aonias ungula fodit aquas.

Quid? an frena receperat? utique nec hæc in Gemma noſtra apparent? Receperat, ſed ore indignanti: imò & rurſus excuſſerat, ſi eos ſequaris, qui inde in cœlum avolaſſe ajunt; inter ſigna enim cœleſtia etiam apud antiquos freno caret, quanquam alii frena eum poſt apertum demum fontem recepiſſe arbitrentur. Sed de his ſuum cuique placeat. An autem fictum animal Pegaſus ſit, an verum, de eo haud forſan abs re quæſieris, cum Plinius author ſit, Pegaſos, Pennatos Equos, & cornibus armatos, in Æthiopia naſci: Imò & alio loco Pegaſos Equino capite inſignes inter aves numeret fabuloſas. Fabuloſum, ut alios taceam, facit & Fulgentius in Myth. lib. I. ubi elegantem rei ſenſum ſuppeditat, *De Sangvine Meduſæ*, inquit, *naſci fertur Pegaſus, in figuram famæ conſtitutus; Virtus enim, dum terrorem amputaverit, famam generat, unde volare dicitur, quia fama eſt volucris. Ideò & Muſis fontem ungula ſua rupiſſe fertur, quod Muſæ ad deſcribendum, famam Heroum aut ſequantur priorum aut indicent antiquorum.* Et iterum Lib. III. *Bellerophon, id eſt bona conſultatio, qualem Equum ſedet niſi Pegaſum? quaſi Pegaſeon, id eſt fontem æternum. Sapientia enim bonæ conſultationis æternus fons eſt. Ideo pennatus, quia univerſam mundi naturam celeri cogitationum Theoria colluſtrat: Ideo & Muſarum fontem ungula ſua rupiſſe fertur; Sapientia enim dat Muſis fontem*, &c.

II.
NYMPHA,
Cornucopiæ floribus replens.



VAria circumfertur de origine cornucopiæ opinio. Quidam Acheloi cornu faciunt, quidam Amaltheæ: quidam Tauri, quidam capræ. Qui Tauri fuisse asserunt, ab Hercule in pugna de Dejaniræ conjugio, Acheloo detractum arbitrantur; Qui Capræ, Jovis Nutricis ajunt fuisse. Non minor incertitudo etiam in reliquis est. Quidam ab Hercule fructibus repletum dicunt: quidam à Jove; quidam à Najadibus: alii ab Hesperidibus seu Nymphis. Herculis pugnam cum Acheloo Tauro, imò & Herculem cornucopiæ gestantem, genuinæ Antiquitatis monumenta hodienũ exhibent; exhibent & capram Jovis nutricem, & cornucopiæ in caprini formam effigiatum; Sed Jovem id floribus & fructibus replentem hactenus non vidimus, imò nec Nympham, nisi in unica, quam hic proponimus; Thesauri qvondam Palatini gemma, ad quam apposite recitaverim tersissimos OVIDII versus Fast. V. de cornu capræ:

Lac dabat illo Deo, sed fregit in arbore cornu,
Truncaq; dimidia parte decoris erat,
Sustulit hoc NYMPHE, *cinxitq; recentibus herbis,*
Et plenum pomis ad Jovis ora tulit.

Sed magis quadrat, quod idem Poëta libro Metam. IX, sub persona Acheloi, de Hercule fundit:

Nec satis hoc fuerat, rigidum fera dextera cornu,
Dum tenet, infregit, truncaq; à fronte revellit.

NAJA-

NAJADES hoc pomis & odoro flore repletum
Sacrarunt, divesq; meo bona copia cornu est.

En poma & flores! illa qualia jam intra cornucopiæ fulgent; hos, quales Nympha elevat, pomis & spicis, recentibusque herbis jamjam sociatura.

Sed hæc Mythicè dicta sunt. Si mythologicè consideres, eadem sententiarum diversitas prostat. EUSTATHIUS in Periegesin Dionysii, ex interpretatione Chabotii ad Horatium; *Ferunt*, inquit, *Amaltheam fuisse vetulam lucro deditam & Mercatricem, quæ multum indiderat monetæ in cornu, & quia homines ditaret ac vitæ multum commodaret, sic est vocata. Quum autem Hercules illud abstulisset pecuniæ plenum, eoq; usus esset, ad voluptates perfruendas, hinc rumor facetus dilatus est, cornu Amaltheæ effundere Herculi omne genus bonorum.* NATALIS COMES *ab Ægyptiis*, ait, *est relatum, Ammonem Regem Partis Lybicæ, cum viseret regiones ad montes Ceraunios, reperisse Virginem formæ egregiæ, Amaltheam nomine, cùm qua congressus filium genuerit, qui Dionysius vocatus sit, Amaltheam autem constituisse Reginam propinqui loci, cujus figura, cum esset cornu bovis similis, dicta sit cornu Hesperidum. Ob fertilitatem verò regionis, quæ multiplices domesticorum fructuum arbores produceret, cornu Amaltheæ.* Alii, qui Acheloum fluvium faciunt, qualis revera fuit, sub cornu fracto, aquas intelligunt ex Acheloo in vicinos agros deductas, quarum liquore irrigata terra uberiorem & florum & fructuum copiam produxerit, adeò ut hinc Poëtico figmento de cornu, Nympharum ministerio floribus & frugibus repleto, non incongrua occasio fuerit. Horum opinionem eorum esse, qui ex fabulis verum colligunt, Strabo arbitratur Geogr. lib. X. Quicquid sit, abundantiam rerum cornu hoc significari, abundantiæ typus in nummis evincit: imo & abundantiam verborum significari evincit simulacrum Rhetorices, quod Amaltheæ cornu tenere, fructibus omnifariis refertum, LUCIANUS author est *in Rhetorum Præceptore*, cui & alibi Κέρα Ἀμαλθείας proverbii loco ponitur. Ita Horatius:

Aurea fruges
Italiæ PLENO *diffudit copia* CORNU.

III.

III.
NEPTUNUS
ΤΡΙΑΙΝΟΚΡΑΤΩΡ & ἹΠΠΙΟΣ.



NEptunum hic cernimus, ferè qualiter in numiſmate Q. TUBERONIS apud Oiſelium; Eſt tamen differentia in eo, quod apud Oiſelium & currus appareat, & Equi marini frenis coërceantur: ut taceam laciniam veſtis, quæ ventis agitata circũ caput in propoſita gemma volitat: taceam Equorum in medio ſquamas, quæ allato in authore vel ſecus ſe habent, vel omninò abſunt. Neptunum Equis per æquora vectum, non tantum ex VIRGILIO diſcimus. lib. V. Æneidos, ſed etiam ex Poëtarum patre HOMERO Iliad. XIII. verſ. 23.

> Ἔνθ᾽ ἐλθὼν ὑπ᾽ ὄχεσφι πετύσκετο χαλκόποδ᾽ ἵππω
> Ὠκυπέτα, χρυσέοισιν ἐθείρῃσιν κομόωντε.
> Χρυσὸν δ᾽ αὐτὸς ἔδυνε περὶ χροΐ. γέντο δ᾽ ἱμάσθλην
> Χρυσείην εὔτυκτον, ἐῦ δ᾽ ἐπεβήσετο δίφρου
> Βῆ δ᾽ ἐλάαν ἐπὶ κύματ᾽.

Illuc (Argos) *cum veniſſet, ſub curru junxit æreis pedibus Equos*
Celeriter volantes, aureis jubis comantes;
Aurum autem ipſe induit circum corpus. Accepit autem ſcuticam
Auream, eleganter factam, ſuumq; aſcendit currum;
Cœpit autem agitare per undas.

Quæ verba, ſi ſcuticam & currum excipias, non tantum ad gemmam noſtram quadrant, ſed & edocent equorum celeritatem, aureumque

teumq; jubarum fulgorem, imò & auream ipsius Neptuni vestem, ORPHEUS in hymno etiam faciem Neptuni describit, χαριώπα eũ appellans, quasi *gratiosus aspectu* esset, eadem procul dubio ratione, quâ VIRGILIUS ejus caput *placidum* vocat. HOMERUS comarum colorem tangit sub Epitheto Κυανοχαίτε *nigras comas habentis*, quod etiam LUCIANUS asserit. ORPHEUS de Tridente docet:

Χαλκοτόρευτον ἔχων χείρεσσι τρίαιναν.

Ferro tornatum tenens manibus tridentem.

Quanquam ARISTOPHANES & hunc aureum fecerit *in Equitibus:*

Δεῦρ᾽ ἔλθ᾽ ἐς χορὸν ὦ χρυσοτρίαινε, &c.

Quicquid sit, à Tridente Neptunum cognomina meritum, & hoc evincit, & quæ apud PINDARUM occurrunt. Ὀρσοτρίαινος *tridente furens* dicitur: dicitur ἀγλαοτρίαινης, *Tridente Illustris*, & in Epigr. Gr. in Isthmo Corinthiaco Τριαινοκράτωρ, *Tridentis potens.* Tridentem ob triplicem aquarum naturam & virtutem liquidam, fœcundam, & potabilem effictum Fulgentius arbitratur: Alii quod Piscatores eo instrumento utantur, vel quod aptum sit instrumentum ad movendam terram, uti LILIUS GYRALDUS arbitratur.

Sed ad Equos redimus. Eos squamis in medio contectos cernimus, quod antiquis in marmoribus vulgare est. Exemplum dabimus infra ex manuscripto Pighiano, ubi & uberior erit de iis dissertandi campus. Equorum bigas cernimus, quales & in numismatibus Crepereji Rochi apud URSINUM; Videtur autem numerus Equorũ promiscuus fuisse, cum quadrigas Neptuno tribuat ORPHEUS *in Hymno:* Τετράορον ἅρμα διώκων,

Quadrigatum currum gubernans.

Imo ex Equo Giganti infestum PAUSANIAS memoret: adeò ut non mirum, si tanquam Equorum domitor, *Equester* & Consus apud Romanos; apud Græcos autem Ἵππιος & Ἱπποκράτειος fuerit appellatus; Equos primùm domuisse, artemq; equitandi ab eo traditam, indeque cognomen eum meruisse, DIODORUS SICULUS Author est. FESTUS vel ad Pegasum arbitratur respiciendum, qui ex eo na-

tus sit, vel ad Equuleum; qui loco ejus Saturno fuerit subjectus, vel denique, quòd tridentis ictu percussa terra equum excierit. PHURNUTUS velocitatem navigationis in medium adducit, quod naves in mari quasi Equi viderentur. Sed hæc de Neptuno sufficiant; ad alia transimus.

IV.
SEMELES TEMPLUM,
ET
Numen incognitum.



AT qua spe gemmam hanc Lectoris oculo subjiciam, cùm tamen altera ejus pars planè nobis incognita sit? Eadem, qua totam opusculi compagem: ut scilicet, quæ vel nescièro vel perperam dixero, ab aliis docear, simulque deliciosæ Antiquitatis cultoribus, si non meo, saltem alieno calamo satisfiat. Sæculum barbarum sapit hæc gemma. Et inscriptio & figurarum inconcinnitas rem satis evincunt. Pars prior Numen aliquod exhibet, id quod nō tantùm ex calatho patet, quem cum Serapide communem habet, sed etiam ex quadruplici capitum compage, quam cum Jano. Quale numen hoc sit, me ignorare ingenuè fateor, neque enim vel ex inscriptione, vel ex cætero habitu certi aliquid colligere potui, inscriptionis exordium ΔΕΙΑΝ ΣΥΡΙΑΝ, Deam Syriam, videbatur prodere, sed quid hoc ad rem, cum Dea Syria non habitu virili, nec tribus capitibus culta fuerit, sed eadem cum matre Deorum & Doctissimo Seldeno demonstretur, & in variis adhuc Antiquitatis reliquiis ostendatur? Forsitan subscriptas literas ΑΠ. de Apamensibus intelligendas censeas, adeoque numen aliquod Apamensium indigitare. Id per me licebit, modò juxta doceatur, quale illud numen fuerit?

Sed

Sed in re obſcura ſatis erravimus. Averſa clarior eſt. Templum ea exhibet, in cujus vertice Avis. Avis, an Aquila, quales templis imponi ſolitas, ſupra oſtendimus? pronus ſum ut credam, neq; enim aliunde lux affulget. Templi ſtructura, ut dictum, rude ſæculum prodit. Cujus Templū ſit, inſcriptio oſtendit, ΣΗΜΕΛΗΝ ΤΡΕΜΟΥΣΙΝ ΔΑΙΜΟΝΕΣ, SEMELEN *tremunt Dæmones.* Ex quibus verbis non tantùm conjicere poſſumus, SEMELES hoc eſſe templum, ſed & intelligimus Deæ potentiam.

Semele Cadmi Thebarum Regis, ex Phœnicia oriundi, filia fuit. Quæ ob inſignem formæ præſtantiam à Jove adamata, ſive ſuperbia, ſive diffidentia legitur petiiſſe, ut eo Deus habitu ſecum concumberet, quo cum Junone ſoleret. Paruit Jupiter, licet invitus, quòd humanam imbecillitatem Divinæ majeſtati imparem ſciret, id quod & eventus comprobavit. Semele fulminibus conflagravit. Jupiter exertum ex utero ejus Bacchum ſuſcepit, & ſuo femori indidit, ut Menſes compleret, Matrem autem, Junone delinita, in cœlum transtulit, Deabusque adſcripſit.

Hæc eſt Fabula de Semele, qualiter ferè à Mythographis & Poëtis traditur. Deabus adſcriptam *Nonnus* docet:

Φλογερὴν Σεμέλην μετανάστιον εἰς πόλον ἄστρων
Οὐρανὸν οἶκον ἔχουσαν ἀνήγαγε μητέρα βάκχου
Αἰθερίοις ναέτῃσιν ὁμέστιον, ὡς γένος Ἥρης;
Ὡς τόκον Ἁρμονίης ἐξ Ἄρεος, ἐξ Ἀφροδίτης,
Καὶ καθαρῷ λύσασα νέον δέμας ἄθοπι πυρσῷ
Καὶ βίον ἄφθιτον ἔσχεν ὀλύμπιον. Ἀντὶ δὲ κάδμου,
Καὶ χθονίου δαπέδοιο, καὶ Αὐτονόης, καὶ Ἀγαύης
Σύνδρομον Ἄρτεμιν εὗρε καὶ ὡμίλησεν Ἀθήνῃ.
Καὶ πόλον ἔδνον ἔδεκτο, μιῆς ψαύουσα τραπέζης
Ζηνὶ καὶ Ἑρμάωνι, καὶ Ἄρεϊ καὶ κυθερείῃ.

Ardentem Semelen exſulem in polum aſtrorum
Cœlum domum habentem reduxit matrem Bacchi,
Æthereis incolis contubernalem, tanquam genus Junonis:
Ut partum Harmoniæ ex Marte, ex Venere
Et puro ſolvens novum corpus, nigro igne.
Et vitam immortalem habuit cœleſtem, pro vero Cadmo,

 Et

Et immortali solo & Autonoe & Agave
Comitem Dianam invenit, & conversata est cum Minerva
Et Polum nuptiale munus accepit, unam tangens mensam
Cum Jove & Mercurio & Marte & Venere.

Ex his Apotheosis Semeles abundè licet pateat, addimus tamen & Orpheum, cui inter cœtera venustatis & Potentiæ elogia apertè non tamen *Dea* vocatur, sed & Παμβασίλεια *omnium Regina*, ex quo testimonio Gemmæ nostræ, qua Dæmones Semeles imperio subjectos audivimus, non exigua lux accedere videtur. Verba hæc sunt:

Κικλήσκω κούρην καδμηΐδα παμβασίλειαν
Εὐειδῆ Σεμέλην ἐρατοπλόκαμον, &c.

Et paulò post:

Νῦν σε θεὰ λίτομαι κούρη καδμηῒς ἄνασσα.
Voco puellam Cadmi. OMNIUM REGINAM
Formosam SEMELEN, *comam amabilem habentem.*

Et paulò post:

Nunc Tibi DEA *supplico puella Cadmia Regina.*

Tibi Dea supplico, an peculiaribus sacris? non dixero, potiùs carmine; Quanquam & solenne sacrum ΣΕΜΕΛΕΙΑ memoret Hesychius, quod Semeles honori peractum Eruditissimus Meursius arbitratur, in nobilissimo tractatu de Festis Græcorum. Verba hæc sunt: ΣΕΜΕΛΗ *incertum quale Festum fuerit.* HESYCHIUS: ΣΕΜΕΛΗ, τράπεζα παρὰ δὲ Φρυνίχῳ, Ἑορτή. *Puto Semeles fuisse.*


V.
QUATUOR OCULI
Decem faciebus perfectè delineatis Sufficientes.




Elegan-

ELegantissimam hanc gemmam non ob historiæ, quæ nulla est, raritatem, sed ob artificii & inventionis præstantiam, *BENEVOLO LECTORI* communicandam duco. Figuras biformes, immò & quadriformes hactenus Antiquitas obtulit. Bacchum *διμορφον Biformem* appellat ORPHEUS: Idqve inde, quod, ut DIODORUS docet, duo Bacchi fuerint. Caput biforme exhibet Tenediorum nummus ob conjugum, ut alibi dictum, unitatem & concordiam. De Jano res trita est, quanquam non item de *quadriformi*, de quo tamen & ipso modo vidimus, cujusque templum apud celeberrimum CHOULIUM cernimus. Sacratum à Lutatio Catulo, & à quatuor anni temporibus denominatum & effigiatum, docent & historia & ratio, quanquam alii alia comminiscantur; Sed ecce, subit & statua Jovis *quatuor vultus habentis*, τετραπρόσωπος, quam Manasses Rex Judæorum in templo Domini poni curasse SUIDÆ memoratur. Alii *quinqueformem* faciunt, ipsique eam Manassi tribuunt. Quoscunque adferas, non plures tamen effigies erunt, quam oculi. In nostra autem gemma effigierum numerus numerum oculorum quantum excedit? nec tamen cuiquam oculum dixeris deesse. Ingeniosum sanè inventum! eoque magis æstimandum, quo concinnius quinque maribus totidem fœminas juxit artifex. Si viros respicias, fœminæ vicem pilei supplent, si fœminas, virorum barbæ supplent vicem ornatus muliebris, quem, ut hodiè, ita & apud antiquos, luxus hominum ingeniosè variavit.

VI.
INSCRIPTIO.



ANceps & obscurus est hujus Inscriptionis sensus, sive aversam consideres, sive adversam; An tamen certi aliquid elici possit,

 ten-

tentabimus. Adversa C. G L. C F. exhibet. Cajum aliquem & Caji filium denotari, ex aliis innumeris tam Numismatibus, quam Lapidibus constat; Quis autem sub literis G L. intelligi debeat, ambiguum est. An *Glitius?* an *Glycerius?* an *Glesidius?* Omnium horum Inscriptiones apud GRUTERUM videas, & ultimi hujus cum C. prænomine, quamvis non C.F. sed *Herma.* Aversa LUCUM ELECTUM arguit, idque IN ÆDIBUS FILII; An autem sub literis VI. SACR. *Via Sacra* lateat, de qua Propertius lib. 2. Eleg. 1.

Actiaq; in SACRA *currere rostra* VIA.

An numen aliquod, cui lucus hic electus & sacratus fuerit, dubitari potest. Si primum statuas, sensus erit, *C. Glesidium C. F. lucum elegisse viâ sacra, in ædibus filii.* Si posterius, disquirendum est, quale numen sit, cui lucus sacratus dicitur. An *Vibilia Dea*, de erroribus viarum liberare solita, cujus meminit ARNOBIUS *lib. IV?* An *Vitula* Dea lætitiæ? An *Vitunus* Deus vitæ & nativitatis? an *Virtus?* an *Vintia?* an *Victoria?* Latissimus hic est conjiciendi campus. De lucis Deo alicui sacratis, non tantùm gentium historia, sed etiam Sacra declarat: Non tantùm Dii magni lucos visitabant, sed & Manes & Heroës, qui *Lares vitales* dicebantur, notante SERVIO, habitabant, indeque VIRGILIUS:

Nulli certa Domus, LUCO S *habitamus opacos.*

Et CICERO LIBRO II. de Legib: *Lucos in agris habento. Et Larium sedem &c.*

Sed ais, Lucos *in agris* Ciceronem ponere, inscriptionem autem nostram *in Ædibus?* Respondeo, fuisse non tantùm in agris, sed etiam ipsa in urbe. *Lucus in Urbe fuit media latissimus umbra* inqvit Virgilius. 1. Æn. Ita *Lucus Semeles*, fuit in Regione XI. Lucus Forinarum in XIV. adstipulante REYNESIO: & idem CICERO *Lucum Vestæ* à Palatii radice in novam viam devexum, Divin. lib. I. Sed hæc ad Gemmam propositam dixisse sufficiat. Si quis certiora docere & possit & dignetur, habebo, quod grata mente & agnoscam & prosequar.

VII.

VII.
MARIS TERRÆQUE ET REGIMEN ET FELICITAS VIGILANTIAM requirunt.



DUas hic gemmas proponimus, duplex vigilantiæ ministerium adumbrantes. In primo Gallus remoni insidet, suppositis Cornucopiæ & Delphino. In secundo idem Gallus poculo inter duo cornuacopiæ duosque Delphinos, spicam item & caput papaveris insistens, rostro muris frugibus infesti caudam invadit, perniciosum animal à præda retracturus. Delphinem esse maris Symbolum, Cornucopiæ esse Symbolum terræ in varia fructuū genera effervescentis, nemini opinor dubium est. Idem dixero de spica & de capite papaveris. Idem de temone, Symbolo regiminis: & de gallo, vigilantiæ.

Non rerum expressarum obscuritas Gemmas has commendat, sed concinna compositio, utilitasque virtutis, quam sub Gallo adumbratam regimini terræ marisque, rerumq; conservationi & necessariam discimus & utilem. Ad Gallum vigilantiæ Symbolū in mentem venit PAUSANIAS, qui & Minervæ Galeæ affictum memorat, idque ideò, quod hæc avis omnium sit pugnacissima: Vigilantiam scilicet non inermem, sed armatam intelligimus, qualis Regum solet esse, Maris Terrarumq; Dominorum, quorum ex regimine & vigilantia, circumpositoque Martiali robore, & hostium terror, & subditorum felicitas!

VIII.
SCORPIUS
Signum Cœleſte.



DUo ad hanc gemmam veniunt conſideranda: Scorpius, & Scorpii cum Stella conjunctio. Scorpionum eſſe duplex genus, unum *terreſtre*, pedibus ingrediens, permagnum, Vertebris abundans; alterum verò *aëreum* & volatile, membraneis alis, quales ſunt locuſtis & cicadis & veſpertilionibus, LUCIANUS in *Dipſadibus* ait. Alii tertium genus *marinos* addunt. Qui in gemma viſitur ad terreſtres pertinere videretur, niſi ſtella ad cœleſtem reduceret; Sed eadem utriusq; figura. *Octo pedibus* inſignis eſt, unde in Proverb. Ὀκτώπυς vocatur; *Caudam elevat*, ad ictum parata, eoq; diſtinguitur ab eo genere, quod caudam jacentem trahit, Arabibusq; indè *Gerrara* dicitur, cujusmodi qui venentur, mittere Perſarum Reges à Perſicis Suſis in Mediam iter facturos, ÆLIANUS *lib.* 15. c. 26. refert.

Cauda ex variis internodiis conſtat, uti & *chela*. Chelas βόρεας, id eſt πολυφάγυς appellat NICANDER *in Theriacis*, *notante* COEL. RHOD. *lib.* 15. *c.* 7. De numero internodiorum caudæ anceps quæſtio eſt. PLINIO teſtante, pluribus ſunt *Sena*, quibusdam tamen *Septena*. Alii conſtanter Septena reperiri aſſerunt, adeoque Nicandrum, qui Ἐννεαδέσμυς σφονδύλυς in Scorpii cauda ponit, non *novem internodia* intellexiſſe ajunt, ſed indefinitè novem pro *multis* poſuiſſe. Aſſentirer effato, niſi appoſitè ad verba Nicandri *novem internodia* hic noſter oſtenderet. An autem Sculptoris id vitium ſit,

ſit, an revera in quibusdam is numerus inveniatur, eorum deciſioni relinquimus, quibus teterrimos hujus inſecti exercitus penitius luſtrare, vel natura juſſit, vel nimius peregrinandi ardor licentiam præbuit.

Terræ partus eſt, id quod non Philoſophi tantùm, ſed & Mythographi teſtantur. Dum cæleſtis Scorpii Originem promunt, terrâ editum finxêre. Cùm Orion venaretur, & in eo exercitatiſſimum ſe eſſe confideret, dixiſſetque & Dianæ & Latonæ, ſe omnia, quæ ex terra oriuntur, occidere valere, Terram, ajunt, permotam Scorpionem edidiſſe, qui eum interfecerit, ideoque à Jove, factum mirante, inter aſtra collocatus fuerit, ut ſpecies ejus hominibus documento eſſet, ne quis eorum aliqua re ſibi confideret, docente HYGINO.

Ita ad cœleſtem aſcendimus, quem in noſtra gemma ſtella unica evincit, licet omnibus inſignis non ſit. Novendecim ejus numerantur Aſtronomis, quarum binæ in unaquaque gelarum, in fronte tres, tres inter Scapulas, in ventre duæ, quinque in cauda, & in acumine, quo percutere exiſtimatur, duæ; Sed nulla inter gelas, quæ in ſitu cœleſti circuitu longo non curvantur tantùm, ſed & in diverſa abeunt. Adeò, ut hæc ſtella planè aliena ſit; Licet enim *Manilius* canat:

Æquato tum libra die cum tempore noctis
Attrahit ARDENTI *fulgentem Scorpion* ASTRO.

Quod ad gemmam forſan quadrare arbitraberis, notandum tamen ſub voce *Aſtro* non unam ſtellam, ſed totum aſteriſmum intelligi, qui, ut dictum, ex novendecim ſtellis conſtat; niſi fortè unam reliquis ardentiorem loco omnium poſitam contendas, id quod & in aliis uſu venire ſolet. Sed hæc Seges Aſtronomorum eſt, nec quicquam pro Stella Scorpio propria ad gemmam noſtram evincit. De Stellis alienis duplex occurrit opinio. Altera *Solem* in medium adducit, altera *Martem Planetam*. Utraque ſatis probabili nititur fun-

fundamento. Solem sub figura Stellæ antiquis præfigurari solitum, evincit vel unicum numisma spurcissimi Imperatoris Elagabali.



Solem, ut reliqua Zodiaci signa, ita & Scorpium permeare, in vulgus patet, unde & Phœbus, Phaëthontem de periculis admonens, ita inter cœtera fatur:

Per tamen adversi gradieris cornua Tauri
Æmoniosq; arcus violentiq; ora Leonis,
Sævaq; circuitu curvantem brachia longo
SCORPION. Met. lib. 2.

Nec abs re solem in Scorpio cœlaverit antiquorum superstitio; Si enim MANILIO fides, tunc fœcunditatem terris solet immittere, eosque, qui sub eo nati fuerint, Martios efficit. En verba!

SCORPIUS *armata violenta cuspide cauda,*
Qui, sua quum Phœbi currum per sidera ducat,
Rimatur terras, & sulcis semina miscet.
In bellum ardentes animos & martia castra
Efficit, & multò gaudentem sangvine civem.

Martios efficit Martii animalis signum; Mars enim ei dominatur, indeque altera Stellæ inter brachia Scorpii positæ, ratio est. Quidni huc detorqueam ejusdem Manilii effatum?

Pugnax Mavorti Scorpius hæret.

IX.

IX.
CENTAURUS.



CEntaurum, NIZOLIUS imperitè ſcripſit, eſſe monſtrum ex *homine* & *Tauro* connexum, procul dubio ſono vocis deceptus, quòd Taurum ea videatur arguere. Alii tamen, quòd non Taurum, ſed Equum in eo agnoſcant, hiſtoriam nominis rationem adferunt, quòd ſcilicet, bobus œſtro agitatis, cùm Theſſalus quidam Rex ſatellites ſuos ad eos revocandos ire juſſiſſet, illique curſu non ſufficerent, Equos aſcenderint, & eorum volocitate boves ſecuti, eos ſtimulis ad tecta revocarint, eoque habitu viſi, locum & fabulæ dederint & nomini, *ἀπὸ τȣ κεντεῖν τȣ̀ς ταύρȣς* dicti, prout docet SERVIUS *ad Virgilium. Georg.* III. PALÆPHATUS Regem Ixionem facit, Centaurosque non Regis ſatellites, ſed Juvenes ex Nephele Montano pago, qui Equos primi domuerint. TZETZES *chil. VII. n. 99.* hanc Etymologiam rejicit, eò quod, ſi *εἰσακοντίζοντες ταύρȣς* Centauri dicti ſint, non *Centauri*, ſed *Centotauri* dici debuerint. Ita non abſurdè TZETZES, qui tamen aliam rationem ſubjungit, ſuperiore multò abſurdiorem, de ſtupro Nephelæ ancillæ ab Ixione illato, unde Centauri prodierint; quaſi verò *κεντεῖν* pro re venerea ullus ſcriptorum uſurpaverit? HENRICUS STEPHANUS à *ſtimulando calcaribus Equo* nomen deducit, indeque Hippocentaurum quaſi *Equi ſtimulatorem* arbitratur eſſe dictum, ſed formationis modum non aperit. Si me quæras, vel *κεντοταύρȣς* cum TZETZE, ſed inde, ob Euphoniam vocis, *Centauros* arbitraberis dictos, vel, quod novum quidem, ſed forſitan verius eſt, *ἀπὸ τȣ̃ κεντεῖν τὴν αὔραν*, quòd auram ſive Aerem Centauri ferire & quaſi ſtimulare viderentur, vel celeriter Equitantes, vel ex equis jacula emittentes. Hanc Etymologiam,

 neſcio

nescio annon fulcire possit Gemma nostra, in qua Centaurum cernimus, *jaculo* & *clypeo* armatum.

Jaculo & clypeo? Atqui DIODORUS Author est, alios *Piceis* radicitus evulsis, alios grandibus *Petris*, nonnullos succensis *facibus*, aliquos magnis *securibus* contra Herculem in prælium ruisse. Imo & HESIODUS, Diodoro longè antiquior, *Abietes* èis tribuit in pugna adversus Lapithas. Sed OVIDIUM in rem præsentem adducimus, qui licet in eadem pugna contra Lapithas *poculis*, fragilibus *Cadis*, Curvis *Lebetibus*, *Lampadibus*, *ara*, imo & *arboribus* & *Saxis* Centauros usos canat, Pyracmonem securiferum vocet, jaculumque primò solis Lapithis videatur abscribere, tandem tamen ètiam Centauris tribuit, non tantùm Lycoten *Jaculatorem* vocando, sed & Nestorem a Teleboa *jaculo*, quod gesserit, vulneratum memorando. Nestor ipse Met. XII.

Chthonius quoque Teleboasque.
Ense jacent nostro, ramum prior ille bifurcum
Gesserat, hic JACULUM. JACULO *mihi vulnera fecit.*

Et quid si eundem etiam de Clypeo testem vocemus? Ita ille de CENTAURO.

Provolat Emathii spoliis armatus Halesi,
Quem dederat leto membris & corpore Latreus
Maximus. Huic ætas inter juvenemque senemque,
Vis Juvenilis erat. Variabant tempora Cani.
Qui CLYPEO, *gladioque, Macedoniaque sarissa*
Conspicuus, faciemque obversus in agmen utrumque,
Armaque concussit, certumque equitavit in orbem.

Clypeum certe etiam in sequenti Gemma apud ANGELONUM cernimus.



In qua Centaurorum ex Gente fœmina, simul cum Masculo, Liberi Patris currui juncta, *Clypeum* prætendit. Centauros LIBERI consortio

consortio adscriptos, PERILL. SPANHEMIUS luculenter, & ex antiquitatum reliquiis, & ex idoneorum Authorum Testimoniis demonstravit. Consortii causam ebrietatem esse, cui impensè dediti fuerint Centauri, exemplis firmat NOB. TRISTANUS *Tom. II. p. 617.* Ubi & de fœminis plura adfert, præterque Centauros Thessaliæ, etiam Centauros Cypri memorat, cornutos illos, qui non ex Ixione & Nube, sed ex semine Jovis Venerem persequentis prognati fuerint; imo & *Ono-Centauros* ex ÆLIANO, qui non ex hominibus & Equis, sed ex hominibus & asinis compositi fuerint. Sed neutra Observatio ad propositam nostram gemmam quadrat, Pulcherrimus enim in eo *Equus* & *homo*, non Cornutus, sed *Juvenis*, & ferè qualiter Cyllarum OVIDIUS describit, dum canit:

Nec Te pugnantem Tua CYLLARE *forma redemit,*
(Si modo Naturæ formam concedimus illi)
Barba erat incipiens: Barbæ color aureus: aureaq;
Ex humeris medios coma dependebat in armos:
Gratus in Ore Vigor: Cervix, humeriq;, manusque,
Pectoraq; artificum laudatis proxima signis,
Ex qua parte vir est. Neque Equi mendosa sub illo,
Deteriorque Viro facies. Da colla caputque,
Castore dignus eris. Sic tergum sessile, sic sunt
Pectora celsa toris:

Multò aliter CALLISTRATUS: *Ingressus in templum ingens,* inquit, *ac Venerabile, quod pulcherrimam in se formam continebat, vestibulum ante ipsum, primoque in Limine, Centaurum video, non Viro ex Homerica imagine Odyss. Φ. Sed Belluæ Sylvicolæ assimilem. Homo erat usque ad Ilia, descendendo Centaurus, in Equi gressum quatuor Cruribus nexum desinebat. Etenim Equum & hominem natura à dimidio secans, in unum corpus compegerat, partim artibus quibusdam secretis, partim sibi invicem consonantibus fabricatis. Sed enim à forma humana, quantum à Lumbo ad imos pedes subtenditur, detraxit: Equino autem Corpori, ademtam reliquam partem, ab umbilico descendentem, humanæ effigiei contribuit: ita ut Equus Caput desideraret, & cervicales toros, & quicquid in terga descendens latè extenditur;*

Homo vero ab umbilico ad Pedum usque plantam stabilimentum requirat. Porro, cum tale sit corpus, videas animum in artificio eminentem, & corpus efferatum, & vultui belluinum quoddam efflorescens, & marmor Pilorum ornamentum pulcherrimè repræsentans, & omnia ad verum simulacrum properantia.

Hæc CALLISTRATI *in Statuis* Centaurum nobis proponunt, licet rudiorem, quam in gemma, talem tamen qualis in marmoribus frequens occurrit, qualis & infra Chiron, de quo plura suo loco. Memorare placuit, non quod nostri formam, sed quod figuræ nexum accuratius exponant.

Sed, inquis, Nomen hactenus & arma, imò & Corporis habitum exegisti, cùm tamen incertum adhuc sit, an unquam Centauri fuerint? Et si non fuerint, quidni & aperis rationem figmenti? Utrumque agam.

An Centauri fuerint, anceps apud Authores quæstio est. Visum à se alatum in melle Centaurum, PLINIUS *lib. 7. c. 3.* affirmat, additque, CLAUDIUM CÆSAREM scripsisse: Hippocentaurum in Thessalia natum, eodem die interiisse. Imo & D. HIERONYMUS *in Vita Pauli* tradit, Antonium ad Paulum Eremitam pergentem, conspexisse, ut ipse loquitur, ***hominem equo mixtum***, cui opinio Poetarum *Hippocentauri* nomen indiderit. Hæc Testimonia quosdam induxerunt, ut Centauros fuisse non negarent.

Ego licet unum aut alterum, vel aberrante natura genetrice, vel occulto Dei Judicio, nasci potuisse facile credam, adeoque in tantum, qui contrarium sentiunt, LUCRETIO, PALÆPHATO, imo & GALENO non accedam; tamen adduci non possum, ut integram gentem, genusque, transfusa à parentibus in Liberos duplici forma, unquam mihi persvadeam extitisse. Iis potius subscribendum duco, qui Thessalos primos Equorum domitores, insolito habitu, Vetustæ simplicitati figmenti occasionem dedisse arbitrantur. Thessalos certè Equestri laude celebres fuisse, neminem Eruditorum arbitror latere. Imò nec bello erant inertes, quod & ipsum ad Centauros quadrat, vel nostra gemma assertum fulciente. Quid enim aliud jaculum & Clypeus, de quibus supra dictum? MANILIUS, dum horoscopos pertractat, de eo, qui sub Centauro nascitur, inter cætera ita canit:

Aut

Aut onerabit Equos armis, aut ducet in arma. Id quod de Thessalis non minus dixeris. Plura, ut dictum, videbimus inter marmora.

X.

SCENICUS BACCANALIORUM LUSUS.



QUo referrem elegantissimam hanc GAZÆ quondam PALATINÆ gemmam, si verum fateri licet, diu dubius hæsi. Tres figuras in ea cernimus. Una calvo Sileni Capite insignis est, dextra sertum præfert, sinistram pallio exertam prætendit, prona, & jamjam casura, nisi ab alia juvenili, quæ retro visitur, pellemque à tergo dependentem gestat, retraheretur, & à casu servaretur. Juvenilis hæc, figurarum secunda est; sed cave hominem existimes! Larva enim est, artificioso nexu prioris tergo affixa, ut eò formidolosiore adspectu se obviis ostenderet. Id facile colligas ex figura tertia, quæ licet nuda sit, & ipsa tamen pellem sinistra gestat, elataq; supra verticem dextra, insolito priorum visu exterrita stupescit.

Dubitabam primo, annon *Lupercal Ludicrum* hoc schemate adumbraretur, quod ex Arcadia allatum, nudi juvenes, Lycæum Pana venerantes, simul cum Romulo per Lusum atque Lasciviam celebrasse, Livio memorantur; *Pelles*, quas exinde Luperci gestarunt, quibusque obvios verberabant, fœminas præsertim, fœcunditatis remedium id arbitrantes, Opinioni aliquatenus videbantur

 favere.

favere. Videbatur favere *arbor media*, cùm Ludicrum id non in urbe aliqua Romulus celebraverit, ſed in monte, qui ab initio à Pallanteo, urbe Arcadica, *Palatium*, deinde *Palatinus* dictus eſt. Et quidni figurarum etiam habitum in ſubſidium adducerem? Luſus certè & Laſcivia, quæ LIVIO apertè memorantur, etiam huic locum videbantur facere.

Hæc cum tacite mecum volverem, ſubiere *Bacchanaliorum ritus, ſcenicique Luſus*, Baccho dedicati, adeoque ſe inſinuarunt, ut opinione de Lupercali rejecta, *Bacchanalia Silenorum* in gemma crediderim adumbrata; Licet enim nec Thyrſi, nec Hædera, nec Pampinus, ſolita Bacchi, comitumque ejus, inſignia, in ea appareant, Unicum tamen SILENI ſimulacrum, ſive verum id ſit, ſive, quod propius, perſonâ inductum, non videtur permittere, ut aliò reſpicias. Fortè & *ſaturnalia* in mentem venient, quæ hilari feſtivitate, variiſque jocis & Luſibus celebrabantur, quibusque & ipſis Silenum quadrare, vel IMPERATORIS Teſtimonio planum videbitur. Sed Silenus non tam Saturno comes fuit, quàm Baccho, indeque à JULIANO Satyræ admiſcetur, non quòd Saturni aſſecla, ſed quod Cavillarum & riſus magiſter eſſet, ideoque de ſcenicis ſilenorum luſibus, Baccho Conſecratis, magis placet, cum perſonas Libero Patri ſacras fuiſſe, facile ex JUVENALI colligas Sat. VI. v. 70. ubi perſonam & Thyrſum conjungit.

Perſonam Thyrſumque tenent. Sed apertius teſtatur CALLIXENUS Rhodius apud ATHENÆUM, Pompam recenſendo, quam Ptolemæus ſoter, in honorem Liberi & inſtruxit & duxit, ubi non tantùm *Silenos*, ſed & *Perſonas* Tragicas, Comicas & Satyricas memorat, & has quidem non tàm prælatas, quàm *circa ſimulacrum Dei appenſas*, adeò ut his præmiſſis planior jam ſit ad figurarum contemplationem tranſitus.

SILENUM perſona refert, calvum illum Liberi patris Pædagogum. SILENUM *Calvum*, pleraque Antiquorum monumenta oſtendunt: *Bacchi Pædagogum* conſenſus Poëtarum, imò & Hiſtoricorum evincit. Illa videas apud PERILL. SPANHEMIUM, *Diſſ.* V. & *in annotationibus ad Julianum pag. 338.*

De

De hoc præter ORPHEUM etiam DIODORUS teſtatur, Παιδαγωγὸν ϗ τροφέα, *Pædagogum* Bacchi & *nutritorem* appellans. Nihil proinde mirum, ſi vino victus, & in caſum pronus, incedere videatur. Semper Ebrium facit VIRGILIUS, & apud Eleos *Ebrietatem ei vinum è poculo porrigere*, *PAUSANIAS* memorat, ut taceam alia, quæ paſſim proſtant, gravisſimorum Authorum teſtimonia, quæ licet planum faciant de φιλοινίᾳ, parum tamen de corona, quàm manu præfert, parum de figura juvenili, quæ à tergo lapſurum retrahere videtur. Equidem non dubito, quin figura hæc juvenilis, juvenem aliquem Silenum adumbret, qualiter etiam in numiſmate Alexandri Severi apud ILL. SPANHEMIUM *ad Cæſ. Juliani pag. 393. & in Toreumate pag. 432.* Licet enim PAUSANIAS ſcribat: *Maximos natu Satyrorum Silenos nuncupari*, id tamen ſuperſtite vetuſtatis ſupellectile non firmatur. Potius NONNO accedendum, qui *lib. XXIX. Dionyſ. v. 263.* tres Sileni filios memorat: aut *CATULLO*, qui & ipſe certum Silenorum genus videtur facere, dum *Nyſigenos* appellat, PINDARO & PAUSANIÆ, antiquisſimum in Malea Laconum civitate natum aſſerentibus, non contrarius; quid enim obſtat, quò minus hujus poſteri in urbe Bacchi nutrice nati potuerint eſſe, cum Pater Pædagogus Bacchi fuerit? Sed de his conſtare videtur.

Corona aliquam lucem mutuat ex eodem NONNO, *Libro XIX. v. 161.* Ubi ſilenus Coronam Baccho memoratur texuiſſe. Quanquam enim ea ex hedera & vite fuerit, tamen & lauro Bacchum coronatum HOMERUS tradidit, cui arbori neſcio an vel Arbor Gemmæ noſtræ, vel etiam corona diſſimilis ſit? Arborem forſitan contra opinionem noſtram, qua luſum Scenicum in gemma præfiguratum diximus, militare arbitraberis. Sed ſi conſideres, non perſonas tantùm in Theatrum prodiiſſe, ſed & montes, & flumina, imò integras regiones & Maria per Machinas, uti adhuc hodiè, ità & Vetuſtis temporibus, fuiſſe exhibitas, non miraberis de arbore; JULIUM POLLUCEM conſule, & prolixè doceberis.

Tertia figura neſcio an Faunum aliquem, an Silenum referat. Pellis certe Bacchi aſſeclam prodit. De utroque, ſi ad conſpectum

trepidet,

trepidet, nihil mirum, cum ejusmodi personæ ad Terrorem occurrentibus incutiendum induxerint. Hinc APULEJO *Persona Minax* vocatur, & apud JUVENALEM

Personæ pallentis hiatum
in Gremio matris FORMIDAT Rusticus infans. Hæc de Opinione nostra sufficiant. Sufficiant & *Gemmæ ex Thesauro quondam Palatino desumtæ*. Aliæ succedunt, Doctorum solertia publici quidem Juris jam dudum factæ, debita tamen luce hactenus non illustratæ. Apud Angelonum est

XI.
DÆDALUS.



DÆDALUM, decantatum illum Atheniensium Artificem, nemo ignorare potest, modo sacros Castalidum fontes primis saltem degustaverit labellis. Ex Regia Metionidarum gente ortum, *in Atticis* PAUSANIAS memorat. Idem Palamaonis filium facit, *in Boeoticis*. Eupalemi sive Euphemi filium testatur TZETZES *hist. 19. Chil. 1.* PHERECYDES Erechthei, viri Atheniensis, & Iphinoes. Quidquid sit, ab eo *tribus Dædalidarum* Athenis fuit, licet Athenienses eo diutius usi non sint. Cum sororis suæ Perdices filium Attalum, vel Acalum, vel ut alii, Telen discipulum per invidiam, ob rotam figlinam, vel ut alii, ob serram ab eo inventam, de tecto præcipitasset, fugere coactus ad Minoëm abiit, extructoque Labyrintho, quem supra ex Gnossiorum numismate protulimus, gloriam ingentem nactus est. Sed nec hic sedes ei stabilis fuit. Cum Pasiphaes, Taurum ardentis, libidini obsecutus, Vaccam ligneam, cui illa inclusa, votis suis potiri poterat, exco-

excogitasset, & ipse custodiæ datus, Labyrinthum, quem fecerat, carcerem habuit. Ex eo ut se expediret, alas ex cera sibi filioque fabricavit, earumque remigio in Siciliam ad Regem Coccalum avolavit.

Hæc est historia, an fabula? de Dædalo, qualiter ferè ab Authoribus traditur. Addi possent & alia, quæ passim de eo memorantur; A Minerva scilicet Architecturam & universam ædificandi artem eum didicisse: asciam, perpendiculum, terebram, Glutinum & Lithocollum invenisse: Statuis oculos & crura & manus addidisse: Opera ejus rudia quidem & aspectu indecora fuisse, attamen numen veluti quoddam præ se tulisse: Pausaniæ ætate ex iis adhuc Herculem Thebis, Trophonium apud Lebadenses, Britomartim ad Oluntem in Creta, & Minervam, Ariadnæque chorum ex candido lapide, apud Gnossios, & Venerem apud Delios exstitisse. Posset mentio fieri Uxoris, Gortinidis filiæ, ex qua suscepit Scillidem & Dipœnum, ut ait PAUSANIAS in *Corinthiacis:* Naucratis servæ, ex qua Icarum: & Mulieris Cretensis, ex qua Japygum, à quo postea Japygiam dictam STRABO *Lib. 6.* Author est. Sed hæc omnia extra propositum sunt, nec ad Gemmam nostram quidquam faciunt. Alam fabricantem intuemur, planè qualiter Ovidio canitur, Met. VIII. fab. III.

Ignotas animum demittit in artes,
Naturamque novat; nam ponit in ordine PENNAS
à minima cœptas, longam breviore sequente,
Ut clivo crevisse putes. Sic rustica quondam
Fistula disparibus paulatim surgit avenis.
Tunc Lino medias, & CERIS alligat imas,
Atque ita compositas parvo curvamine flectit,
Ut veras imitetur aves.

Quibus ex verbis & materia alarum innotescit, quas inde *Ceratas pennas* HORATIUS vocat, prout ipsum *fabrum volantem* JUVENALIS *sat. 1.* quod utique re ipsa accidisse non dixeris, sed fabulam fatearis, vel inde confictam, quod vela navium & antennas invenerit Dædalus, vel quod navibus ipse ex Creta in Siciliam fugerit. Hanc Opinionem latius deducit PALÆPHATUS in

fabulosis narrationibus, cujus ecce verba! *Dædalum una cum Icaro filio, quandam ob causam in Carcerem à Minoë inclusum fuisse ajunt, qui quidem Dædalus cum* FICTITIAS *sibi* PENNAS FABRE FACIENDO *aptasset, una cum Icaro illinc exiliisse fertur. Scientiam vero hanc Volantes homines faciendi, absque vel machina vel artificio, pennasque præsertim fictitias habentes, calluisse impossibile est. Tale igitur hoc erat, quod ab eis dictum est. Dædalus cum in Carcere esset, ac sese ipsum per fenestram quandam demisisset, scapham mare sulcaturus inscendit, quod simulatque Minos intellexit, qui illum abeuntem insequerentur navigia mittit. Id autem Dædalus atque Icarus agnoscentes, persecutoresque à tergo instare animadvertentes, vento terribili & vehementi cum impetu flante usi,* ADVOLANTES, *hoc est, navigantes circum pelagus vertebantur.*

XII.
DAPHNES
METAMORPHOSIS.



DAphne Ladonis fluvii Arcadici, vel ut aliis placet, Penei Thessalici ex Tellure filia, tantæ venustatis fuisse perhibetur, ut Apollinem ejus conspectus ureret: tantæ castitatis, ut Dei amores celeri fuga, imò &, si non interitu, tamen metamorphosi sua sibi evitandos censeret. Cùm amantis vim celeritate se superaturam desperaret, commiseratione matris in Laurum mutata est, in eamque abeuntem nequicquam complexus Apollo, qua Virgine potiri non potuit, eam arborem sibi sacram voluit.

Hæc

Fabulæ ſeries ex Mythographis patet. Gemma ex Angelono propoſita Daphnen exhibet in ramos jam jam excreſcentem. Aſſidet, & flebili amplexu fruſtratos amores lamentatur Phœbus. Phœbum lyra teſtatur, non fatidico pollice tacta, id quod ab hilari ſolebat, ſed humi abjecta, quod à mœrente. Lyra adjuncta eſt, inſtrumentum non ignotum amoris vel conciliandi, vel dulciter tranſigendi.

Per me concordant Carmina nervis,

Inquit, inter alia amoris delinimenta, Phœbus ipſe, Daphnem adhuc inſequens, apud OVIDIUM Poëtam elegantisſimum, qui ut totam fabulæ ſeriem eleganter expreſſit, ita nec eorum oblitus eſt, quæ ad gemmam hanc ſunt præcipua. Audi de Daphne.

Torpor gravis occupat artus,
Mollia cinguntur tenui præcordia libro,
In frondem crines, in ramos brachia creſcunt.
Pes modo tam velox pigris radicibus hæret.
Ora cacumen habent, remanet nitor unus in illa.

Audi de Phœbo!

Hanc quoque Phœbus amat poſitaque in Stipite dextra
Sentit adhuc trepidare novo ſub cortice pectus.

De Daphne elegans eſt Deſcriptio apud LUCIANUM in veris hiſtoriis, lib.1. Cum portentoſas vites memoraſſet, quarum truncus inferior à terra ramoſus eſſet & craſſus, ſuperior autem Mulieres referret, ab utero fere ſurſum omnia perfecta habentes, ſubjicit: *Talem apud nos Daphnem deſcribunt, quam cùm Apollo jam jam comprehenderet, in arborem verſa eſt.* Appoſite ad Gemmam! Truncus enim etiam in hac à terra ramoſus eſt & craſſus, ſuperior autem mulierem refert, ab utero fere ſurſum omnia perfecta habentem, adeò ut de fabula Daphnes hac in gemma expreſſa dubitari non debeat.

De origine & ſenſu adhuc dicendum. Laurus Græcis ΔΑΦΝΗ dicitur: Inde nomen. Laurus ad Peneum Theſſalicum flumen frequens naſcitur, naſcitur & ad ripas Ladonis in Arcadia, & naſcitur ex terra fluvialibus aquis imprægnata: Inde Parentes. Naſcitur

etiam Delphis, indeque si THEOCRITUM audis Phœbo dicata est, quanquam alii ad Vaticinia decurrant, quod Sacerdotes non tantùm lauro coronarentur, sed & Vaticinaturi ejus foliis vescerentur, imò quod & vera somnia exspectarentur, ea fronde dormientis vertici supposità. Alii in Arboris calore, calorem solis aliquo modo referente, rationem pónunt, cujus intuitu & Lunæ simulacro ramum lauri datum legimus, ut scilicet pateret, calorem una cum lumine illam à sole mutuari. Alii ad usum medicum respiciunt, quod HERODIANO memorante, Lauri odores ad evitandam contagionem valeant, & rami ejus fulmine non tangantur, sed semper vireant. Hæc ex tribus Apollinis officiis desumta sunt. Forsitan adhuc alia adduxeris. Daphnen Tiresiæ filiam apud Delphos carmine usque adeo excellenti vaticinatam, ut Homerus ipse multa in suum poëma transtulerit, memorat DIODORUS. Daphnen Nympham, earum unam, quæ montem incolerent, à Tellure delectam, quæ Delphis, Oraculorum sedi, præsideret, PAUSANIAS Author est. An harum ex nomine, munerisque dignitate, fabulam arbitraberis confictam? Nihil video quod obstare possit; sunt tamen qui totam seriem ad moralia detorquere, & sub Daphnes in arborem semper virentem metamorphosi, Virginum, quæ pudicitiam suam intactam conservassent, malint immortalem contemplari gloriam.

XIII.
BELLEROPHON PEGASUM DOMANS.



HAnc gemmam ex eodem Angelone eò libentius proponimus, quò apertius contra PAUSANIAM videtur militare.

Ita

Ita illc *in Corinthiacis* : Ἀθηνᾶν Θεῶν μάλιστα συγκατεργάσασθαι τά τε ἄλλα βελλεροφόντῃ φασὶ, καὶ ὡς τὸν πήγασον οἱ παραδοίη, χειρωσαμένη τε καὶ ἐνθεῖσα αὐτὴ τῷ ἵππῳ χαλινόν. *Minervam ajunt præ Cæteris Diis Bellerophonti, cum aliis in rebus opitulatam; tum verò à se domitum, freno jam imposito, pegasum dedisse.* Freno jam imposito? Atqui in proposita gemma frenum abest, nec Minerva Pegasum domat, sed Bellerophon? Nihil dubita. Surgit gemmæ Patronus. STRABO *Lib. 8.* Cum de Pirene, fonte Acrocorinthi, locutus esset, subjicit: ἐνταῦθα δέ φασι πίνοντα τὸν πήγασον ἁλῶναι ὑπὸ βελλεροφόντου *Ibi Pegasum, cum biberet CAPTUM ajunt esse à BELLEROPHONTE.* Ita quod PAUSANIAS Minervæ adscribit, STRABO & GEMMA adscribunt Bellerophonti. An sibi contrarii? Si corticem respicias, sunt: si medullam, non sunt. Bellerophontem quidam ab occiso Bellero denominatum ajunt; sed verius, quasi βουληφόροντα *Consiliarium* dictum probat FULGENTIUS *Lib. III. pr.* inde præcipuè, quod HOMERUS,

ἀγαθὰ φρονέοντα καὶ δαίφρονα βελλεροφόντην.
Bona Consulentem & prudentem

appellet. Hunc si sequaris, jam constabit, idem esse, sive Minervam dicas frenum Pegaso imposuisse, sive ipsum Bellerophontem. Minerva enim aliud non est, quam prudentia; & prudentia opus erat equum, alis armatum indignantemque, domanti. Indignantem Pegasum frena recepisse, OVIDIUS Author est, versu quem & supra citavimus.

Indignanti frena receperat Ore

Alas ob celeritatem ei datas, vulgò patet; Neque enim, si PALÆPHATUM audis, fieri posset, ut Equus volitet, etiam si omnium avium pennas sibi junxisset. Ita vel ex his intelligis non tam historiam, quàm fabulam hic exhiberi: Quanquam historia subesse possit, sive Bellerophontem Equi alicujus, celeritate quasi volantis, domitorem statuas, sive navigii gubernatorem, cujus vela alarum vices impleverint. De navigio suggerit idem PALÆPHATUS: De Equo PLINIUS, qui Bellerophontem primum Equo vehi docuisse *libro 7.*

 cap. 56.

cap.56. testatur, & HORATIUS, qui Equestrem peritiam ut extolleret, Neobulen allocutus.

Eques, inquit, *ipso melior Bellerophonte*

Accedit Bellerophontis Patria. Ephyra oriundus memoratur, propè *Argos Equis aptum.* HOMERUM audi.

ἔστι πόλις ἐφύρη μυχῷ ἄργεος ἱπποβότοιο.
ἔνθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν, ὁ κέρδιστος γένετ᾽ ἀνδρῶν
Σίσυφος Αἰολίδης. ὅ δ᾽ ἄρα Γλαῦκον τεκεθ᾽ υἱόν.
Αὐτὰρ Γλαῦκος ἔτικτεν ἀμύμονα βελλεροφόντην.
Τῷ δὲ Θεοὶ κάλλος τε, καὶ ἠνορέην ἐρατεινὴν.
Ὤπασαν.

Est Civitas Ephyra in recessu Argi Equis apti
Hic autem Sisyphus fuit, qui prudentissimus existitit Virorum
Sisyphus Æolides. Hic vero Glaucum generavit filium.
Verum Glacus genuit inculpatum Bellerophontem;
Huic autem Dii pulchritudinem & amabilem Virilitatem
Dederunt

Quibus ex verbis simul & de genere Bellerophontis constat: Constat & de pulchritudine & virilitate, quas in gemma mirificè expressas cernimus.

XIV.

XIV.
IN FUNDAMENTIS TEMPLI CAPITOLINI. CAPUT HUMANUM
repertum.



DUplex Onyx *in Dactyliotheca* ABRAHAMI GORLÆI, inter Gemmas solutas No. 35. & 36. hominem nudum exhibet, dextra caput humanum præferentem, sinistra ligonem tenentem. Ligonem statuimus, idque moniti numismate Cartejæ *Thes. El. Brandenburgici*, in quo Vir quidam simili instrumento terram percutiens & fodiens cernitur. Duorum scilicet generum erant ligones, vel lati & quadrati, vel in acumen exeuntes, qualem in proposito cernimus. Acumen istius modi COLUMELLA Ligonis dentem appellavit, & non unum interdum fuisse ex hoc SIDONII intelligas.

> *Flexi dum fortè Ligonis*
> *Exercet dentes.*

Ex quo simul & de forma constat, cujus intuitu, STATIO *lib. 3. Theb.* INCURVI LIGONES vocantur, adeo ut de ligone dubium non supersit, nisi fortè similem ferè figuram *falcis* in medium adducas, quam in sequenti Ejusdem GORLÆI No. 64. *Gemmarum solutarum*, Saturnus præfert.

 Sed



Sed longitudine ea differt & forma, licet acumine non minus ac ligo conſpicua ſit, qua ratione & ipſa *dentis* nomen meruit, apud VIRGILIUM, ſed *dentis Saturni*, qui OVIDIO *lib.1.faſt. Falcifer*, & in Ponto *falcitenens Deus* audit: alias, ut quidam rentur, vel *à futurando*, propter annonæ erogationem, nomen ſortitus: vel *à ſatu*, quod Srercorationi præſit, & Agriculturæ, quod officii genus in Gemma per ſpicas exprimitur, dilucidatque alias ejusdem GORLÆI *in Dactyliotheca No.117. & 175.*





Onyx incis

In Cujus prima mulier cum ligone & capite papaveris, & à tergo ſpica; in ſecunda rurſus loco capitis papaveris, caput humanum cernitur. Ligo fodiendæ terræ inſtrumentum, non tantùm in effodiendis ædificiorum fundamentis uſurpatur, ſed etiam in agricultura, adeoque facile conſtat, caput papaveris & ſpicam, ad hanc ſolam pertinere, ſpicam autem & caput humanum, non tantum Agriculturam tangere, ſed etiam hiſtoriam effoſſi Capitis humani ſimul adumbrare, quo prodigio futurus Romanorum dominatus, & ex dominatu procedens agriculturæ ſecuritas, annonæque copia Romanis innotuit.

XV.

XV.
CLOELIA.



INter Camæos, ab ANGELONE publici juris factos, etiam proposita mulier visitur, Equo ad Cursum incitato vecta; sed nomen, uti nec in reliquis, adscriptum non est. CLOELIAM ea adumbrari, facile opinor persuasero. Nota est Virginis Virtus, & facinus! Notum virtutis præmium! Cùm Porsenna Etruscorum Rex, Romanis gravi obsidione Virgines obsides extorsisset, illa per Tiberim fugiendi reliquis & Author & Dux, adeò Regem perculit, ut Equo bellico donatam dimitteret, Romanique statuâ Æneâ redeuntem honorarent. An per flumen tranaverit, an equitaverit, anceps apud Authores assertum est. Secundum VIRGILIUM, *Æn. 8.*

Fluvium Vinclis INNAVIT CLOELIA ruptis
Secundum *JUVENALEM.*

Imperii fines Tiberinum Virgo NATAVIT.

Ita & DIONYSIUS *Halicarn. A Custodibus, precibus contenderunt, ut sibi flumen adire, & se lavare permitterent, quum id impetrassent, eos rogarunt, ut tantisper à flumine recederent, donec se lavissent, & Vestes resumsissent, ne se nudas viderent, quumque id illi fecissent, CLOELIA illas adhortante, primaque incipiente, FLUVIO TRANATO, in urbem sunt reversæ.* Et LIVIUS *lib. 2. cap. 13.* CLOELIA *Virgo, una ex obsidibus, quum Castra Etruscorum forte haud procul ripa Tiberis locata essent, frustrata Custodes, dux Agminis Virginum, inter Tela hostium,* TIBERIM TRANAVIT.

K Multò

Multò aliter FLORUS : *per patrium flumen*, inquit, EQUITABAT : & AURELIUS VICTOR, *Porsenna* CLOELIAM *Virginem nobilem inter obsides accepit, quæ deceptis Custodibus noctu Castris egressa*, EQUUM, *quem fors dederat, arripuit, & Tiberim Trajecit :* His accedit & nostra gemma, in qua Equus posterioribus pedibus flumen premit, adeò ut vel hinc colligas, eum habitum hinc exprimi, quo Tiberim ingressa est ; nec forsitan dubium, quin eodem & statua fulserit, quam in Via sacra, quæ in Comitium fert, Clœliæ positam, DIONYSIUS *Halicarnassensis* memorat. De loco audiatur & SENECA *de Consol. Equestri insidens statuæ, in sacra via, celeberrimo loco, Clœlia exprobrat Juvenibus nostris pulvinum ascendentibus, in ea illos urbe sic ingredi, in qua etiam fœminas equo donavimus :* Quibus ex Verbis ALDUS MANUTIUS colligit, Versum hunc apud CIC. *off. lib. I.* Statuæ insculptum fuisse:


Vos etiam Juvenes animum geritis muliebrem
Illa Virago Viri !






Ertium Viridarii nostri segmentum varias nobis Inscriptiones objicit, vel cum figuris illustres, vel absque figuris memorandas. STEPHANUS WINANDUS PIGHIUS, nobilioris Antiquitatis sedulus inquisitor, non hujus tantùm, sed & sequentis capitis suppeditat divitias. Autographum ejus inter Manuscripta Bibliothecæ Electoralis Brandenburgicæ asservatur, variante pulcherrimæ mercis copia refertissimum. Ad GRUTERUM, REYNESIUM, aliosque Authores, hoc in genere non obscuros, id examinantes, plurima jam vulgata, pauca hactenus inedita, quædam etiam à vulgatis diversa deprehendimus. Quæ jam vulgata, sufficientique commentario illustrata prostant, hoc volumine tangere religio nobis est. Quæ à vulgatis differunt, confidimus fore delectationi: Quæ nondum edita, emolumento. Utraque proponimus, non ad rationem ordinis, sed ut quæque sese obtulerunt.

I.


MEMPHIS. MAI
POMPEIAE LIBRARIA. ATIAE
V. A. XX. VALER

INscriptio hæc est apud CL. SPONIUM *in Miscell. Erudita Antiquitatis pag. 224.* Unica quidem litera diversa, sed quæ

diversum planè sensum inducit. Secundum PIGHIUM Memphis Libraria fuit; sed secundum SPONIUM, fuit Pompeja. Si quæras utri credendum, judicium, nisi inspectione lapidis firmetur, difficile dixerim. Sensum integrum & planum dedit PIGHIUS, innuens Memphim, Pompejæ Liberariam vixisse annos XX. Sed planum dedit & SPONIUS, si Memphim Pompejæ Librariæ monumentum posuisse intelligas, vixisse autem Pompejam Annos XX. Hæc utcunque fuerint, indicasse sufficiat.

De Voce *Libraria* major cura. SPONIUS Librarias dictas ait, quæ pondera librabant, *à Libra* scilicet: quod licet Veterum authoritate non stabiliverit, & Libraria à Libra adjectivè apud COLUMELLAM legatur, tamen & substantivè, pro ea, quæ pondera librabat, & pensa ancillis dispertiebat, JUVENALIS posuit, Sat. VI. vers. 475.

> – – – *Nocte Maritus*
> *Aversus jacuit, periit* LIBRARIA, *ponunt*
> *Cosmetæ tunicas.*

Quo loco vetus SCHOLIASTES *Librariam*, *Lanipendiam* interpretatur, quòd scilicet lanas penderet, & pensa, quæ inde, à pendendo scilicet, dicta sunt, ancillis dispertiret.

Forsitan Librariam intelligas, quæ libros vel transcribebat, vel vendebat, idque ideò, quòd Librarius eo sensu apud idoneos Authores legatur, priore scilicet apud CICERONEM, LIVIUM & HORATIUM, posteriore apud CATULLUM ad Calvum, Epigr. 14. Sed virilia hæc officia fuere, nec sine Veterum authoritate ad fœminas extendenda. Fœmina fuit Memphis, & fuit Libraria, id est Lanipendia fœminæ: Pompejæ scilicet, quæ an Cæsaris uxor fuerit, quam ob suspicionem adulterii cum Clodio repudiavit, an Sexti Pompeji filia, pignus initæ cum Triumviris concordiæ Marcello desponsata, sed non deducta, quæ postea Scribonio nupsit, an alia, anceps & incerta disquisitio foret.

II.

L. CORNELIVS.
L. F. GAL. CINNA.
II VIR.
MVRVM LONG. P. C I I.
EX. D.D. F.C. IQ. P.

Est hæc Inſcriptio apud REYNESIUM Claſſe II. Numero 19. Sed Cornelius ibi non L. ut apud PIGHIUM, ſed CN. Prænomen habet, quæ differentia cauſa eſt, ut hic denuò proponendam cenſeamus. Series ita legitur: L. CORNELIUS Lucii Filius GALLUS CINNA DuumVIR MURUM LONGUM Pedes Centum & duos EX Decreto Decurionum Fieri Curavit Idem Que Probavit.

III.

MANLIAE. IVCVNDAE NVTRICI

REYNESIUS Claſſe XI. No. 50. Inſcriptionem habet in Hortis Maffæorum Romæ exſtantem, quæ an cum propoſita eadem ſit, an diverſa, Lectori dijudicandum relinquimus: Ita habet:

MANLIA SEVERA
MANLIÆ SECUNDÆ
NUTRICI.

Hanc noſtrâ pleniorem eſſe, non diffiteor, adeoque nomen *Manliæ Severæ* libenti animo agnoſco; An autem loco *Secundæ*, *Jucundæ*, an vice verſa legendum ſit, ipſe lapis diſcernat neceſſe eſt. Differentiam indicare volui, ut veritatis eruendæ occaſio eſſet, nec PIGHII de Nutrice ſileretur ſententia, quam ille his verbis adſcripſit: *Nutrices*, inquit, *Libertinæ ſortis erant: Puellas Virgines*, in

in ludum Literarium commeantes comitabantur. LIVIUS *Lib.3. de Virgine puella, quam Appius Xvir servituti addicavit: Virgini venienti in forum (ibi enim in taberna literarum ludi erant, Minister Xviri libidinis manum injecit.* Et paulò post: *Pavida puella stupente, ad clamorem* Neutricis, *fidem Quiritium implorantis fit, concursus.*

IV.

LIVIVS . AVGVSTI.
TABVLARIVS.
ATALIANVS.

INscriptio hæc quod sciam hactenus vulgata non est. CL. SPONIUS in Miscellaneis Tabularios intelligit Notarios sive Scribas Publicos Rationum rerumq; Castrensium: ut apud GRUTERUM *Tabularii Rationis Fisci, Tabularii Rationis Hereditatum, Tabularii Patrimonii Cæsarum.* Ideò autem arbitratur Tabularios dici, quòd Tabulis ligneis, eburneis, ferreis, marmoreis consignarentur acta scriptaque; quæ nunc chartæ pergamenoq; inscribuntur; Idem p.218. Tabularii, ait, qui Tabulas publicas & Archiva curabant & custodiebant, unde in Gloss. Lat. Gr. Tabularius Γραμματοφύλαξ, λογιςὴς & λογοποιός. Videri possunt & SIDONIUS *ad Petrejum,* & SENECA *Ep.89.* & addatur PANCIROLL. *de Magistratibus Municipalibus* c. XXI. Alio planè sensu, quam quo Tabellarius, de quo CICERO *ad Terentiam lib. 14. Ep. 22.* Tabellarium appellans, qui literas perfert, id quod & colligas ex Epistola ad Pætum *l.9. Ep. 15.* his verbis: *Duabus Tuis Epistolis respondebo: uni, quam triduo ante acceperam à Zeto: alteri, quam attulerat Phileros* TABELLARIUS. Et hinc apud eundem: *Tabellarios mittere* & *remittere: Tabellarios excutere* & *scruteri: Tabellarios deprehendere* & *subministrare.*

V.

V.

DIIS.
MANIBVS.
C. STATILI.
MAXIMI.
MENSORIS.
AEDIFICIORVM.

GRUTERUS pag. 623. No. 7. fere similem inscriptionem habet, aitque, Arulæ inscriptam, Romæ in Vinea Carpensi exstare. Unica differentia est, quem noster *C. Statilium* vocat, Gruterus *L. Cæcilium* appellat, servato utrinque *Maximi* Cognomine, Servato & *Mensoris Ædificiorum* officio. Quem *Mensorem Ædificiorum* vocant lapides, eum simpliciter *Mensorem* appellant Authores. Erat sub Magistro Officiorum, Principemque, in aliquam civitatem iturum, præibat, & domos, in quibus quisque hospitaturus esset, signo denotabat: diversus à Metatore, quod hic integris Castris locum deligebat, ille singulis hominibus vel in Castris vel in Urbe. Plura videri possunt in commentariis PANCIROLLI ad Notitiam Imp. Orient. cap. LXV. & GOTHEFREDI ad Cod. Theod. Tom. II. lib. VI. Tit. 34. *de Mensoribus* & lib. VI. Tit. 8. Leg. 4. *de Metatis*.

VI.

FONTI. DIVI
NO. ARAM
POSTVMIVS. SA
TVLIVS. EX. VOTO.
D. D. D.

EST Inscriptio apud GRUTERUM unica litera à nostra diversa, qui PIGHIO Satulius est, is GRUTERO *Statulius* cognominatur. Quicquid sit, aram ab eo erectam Fonti, ex hoc monumento discimus, & ne causa cultus deesse videretur, innuit, hoc se facere Fonti Divino. Divinis scilicet honoribus colebantur fontes, dice-

dicebanturque ea ſacra cognato vocabulo *Fontinalia.* VARRONEM & FESTUM teſtes apponimus. Feſtus ita: *Fontinalia fontium ſacra, unde & Romæ fontinalis porta.* VARRO: *Fontinalia à fonte, quod is dies feria ejus. Ab eo autem tum, & in fontes coronas jaciunt, & puteos coronant.*

VII.

LONGINVS.	C. IVLIVS. CAESARIS L.
OSTIARIVS.	DEMETRIVS.
Romæ in ædibus Maphæorum	

GRUTERUS quidem aliis in inſcriptionibus Longinum & C. Julium Demetrium memorat, ſed illum Oſtiarium, hunc Cæſaris Libertum fuiſſe, non memorat. Utrumque ex Pighiana intelligimus. *Oſtiarii* officum fuiſſe portas cuſtodire & impedire ingredi volentes, ex SUIDA docet CL. SPONIUS. ILL. du CANGE in Gloſſario plura collegit, quæ honorifica tanti viri cum mentione huc transſcriberem, niſi longiora forent. Notare tamen licebit: apud antiquos Romanos ædilitiorum nomen Oſtiarios geſtaſſe: *Oſtiarium Palatii* primum inter Miniſteriales Palatinos, qui majoribus miniſtris ſuberant, fuiſſe: Goterianum *Magnificum Oſtiarium* memorari in Epiſt. Hadriani PP. 92. Codicis Carolini: Francolinum *Oſtiarium Regis* apud Odorannum in Chron. An. 1031. Gerungum *ſummum ſacri Palatii Oſtiarium* apud Frotharium Tullenſem Ep. 2. 4. *Oſtiariorum Magiſtrum* apud Eginhardum Anno 822. Athonem *Oſtiarium Caroli Imperatoris* apud Hincmarum de villa Novilliaco in Appendice ad Flodoardum: Fuiſſe & *primum gradum Ordinis Eccleſiaſtici*, ad eumque pertinuiſſe Claves Eccleſiæ, ut Clauderet & aperiret Templum Dei, & omnia, quæ ſunt intus extraque, cuſtodiret, fideles reciperet, infideles & excommunicatos rejiceret. Authores prædicta confirmantes videri poſſunt apud Eundem ILL. *Dominum* Du CANGE. Nobis ſufficit notaſſe differentiam inter *Oſtiarium Palatii* & *Eccleſiæ*; Notaſſe & dignitatem, ne aliquis Oſtiarii munus inter vilia & abjecta fors per imprudentiam reponat.

VIII.

VIII.

PARTHAS.	ΙΟΥΛΙΑ ΑΝΘΟΥ
CAESARIS.	ΣΑΜΙΛ ΩΝΟΣΑ
VNCTOR.	ΔΕΛΦΗ ΧΑΙΡΕ.

DUæ hæ inſcriptiones uno ſecundum PIGHIUM continentur lapide. GRUTERUS priorem tantum exhibet, eâ tamen cum differentia, quod non *Partham*, ſed *Pantham* hunc Cæſaris Unctorem appellat. *Unctores* erant qui Unguentis Odoribusque variis balneum ingredientes, alioſque ungebant. Unctor *ſordidus* vocatur Martiali; ſed noſtro elevatioris fortunæ umbram circumfundit appoſitum Cæſaris nomen. Græca inſcriptio per ſe patet. Latinè ſic redderes. *Julia Florens, Soror Milonis, Vale!*

IX.

ANVS. AD
DVOMVIR
CONLEGI.ANVLARI
LOCVM.SEPVLCHM
IN.FRONTE.PEDES.XXV
IN.AGRO.PEDES.XXV
DE.SVA.PEQVNIA.
CONLEGIO ANVLAR
IO
DEDIT.

CUjus honori propoſitum Marmor erectum fuit, ejus nomen mutilavit injuria temporis, adeo ut temerè acturus ſit, qui ſine veterum authoritate id reſtituere præſumſerit. Duum virum *Collegii Annulariorum* fuiſſe, locumque ſepulchralem col-

 legio

legio dedisse, ex residuis clarum est. Collegium Annulariorum hactenus inter Antiquitatis reliquias, quod sciam, non apparuit. Fuisse Annulorum artifices, qui Græcis Δακτυλιογλύφοι vocantur, HENR. STEPHANUS ait, allegato in rei fidem CICERONE 4. Acad. *An tibi erit quærendus ANNULARIUS aliquis?*

X.

M. VLPIVS. AVG. LIB. PLOCAMVS
EX. DOMV. AVG. SCASOR.
ET IVLIA. CHELIDO. CONTVBER.
EIVS. C. IVLIO. RVFO. FIL. PIISSIM.
FECERVNT. ET. SIBI. ET. POSTERISQ.
SVIS. VIXIT. ANN. XVIIII. MEN. V. D. XV.

REYNESIUS classe IX. (No. 66. ubi hanc inscriptionem proponit, loco vocis SCASOR, legendum arbitratur STATOR, remittitque Lectorem ad alias inscriptiones, in quibus Statoris mentio occurrit. Sed SCASOR, & non STATOR, in proposita legendum esse, CODEX THEODOSIANUS persuadet *Lib. 2. de Excusat. Artificum*, ubi inter eos, qui ab universis muneribus vacare jubentur etiam SCASORES nominantur. GOTHOFREDUS legendum arbitratur *Scansores*, eo quod GLOSSA: *scansor* καταςεωτης: vel *Stratores*, qui pavimenta sternebant: vel *Scansores*, qui circa gradus seu scalaria occupati essent, per quos scanditur. Sed frustra laborat, si non de sensu, tamen de voce, cum *scasores* legendum esse, nostrum marmor liquidò evincat.

XI.

XI.

CHARACTERI.
TI.CAESARIS. AVG.
PEDISEQ.PRIMIANO.

DE *Pedisſequis* variæ ſunt apud GRUTERUM inſcriptiones ſed de *Pedisſequo Primiano* res non adeò trita eſt. Pedisſequi ex ipſa vocabuli notatione ſunt ii, qui Dominos à pedibus ſequuntur. Ita apud PLAUTUM: *Pedisſequus Tibi ſum*, & CICERO ad Atticum: *Mihi videtur una conciuncula, clamore pedisſequorum noſtrorum eſſe peritura*: & pro domo: *Conculcari hunc à Pedisſequis juſſit*.


XII.

MARII.MAXIM
PRAEF.VRB
PROCOS.V
SVFFRAGAT

MArium Maximum, qui hic nominatur eundem eſſe, cum L. Mario Maximo, cujus infra mentio habebitur, vix dubitari poteſt. Utrinque enim *Præfectus Urbis* dicitur, utrinque *Proconſul.* Ultima Vox SUFFRAGATOREM prodit, ſed nomen ejus injuria temporis abolevit. Suffragatores antiquitus erant, qui ſuffragabantur, ſive ſuffragio ſuo, aliquem in petitione honoris juvabant, Græcis ψηφοφόροι: Ita CICERO pro L. Murena ad Ser. Sulpitium: *Tua Nobilitas, tametſi ſumma eſt, tamen hominibus literatis & hiſtoricis eſt notior, populo vero & SUFFRAGATORIBUS obſcurior.* Et PLAUTUS in Caſina Act. 2. ſc. 4. *Ego Te & ſuffragatores ulciſcar Tuos.* Poſterioribus

rioribus tempotibus idem ſignificabat; quod vulgo *ſuffraganeus*. *Suffraganei* autem erant Epiſcoporum adjutores. De quibus plura apud DOM. DU CANGE in Gloſſ. med. Lat.

XIII.



HAnc inſcriptionem & GRUTERUS & BOISSARDUS exhibuerunt uterque non exigua à PIGHIO cum differentia. GRUTERUS, pro ΕΩΟΣ, habet ΕΩΣ: pro ΤΕΙΜΙΩΤΑΤΗ, ΤΕΙΜΙΩ-ΑΡΑΙ: *Rotam*, figurarum alteri à tergo appoſitam, omittit, aitque, *baculum ſupra Gryphum* demitti; BOISSARDUS, loco literarum Θ.Η. ſubſtituit Θ.Κ. loco ΚΗΝΣΩΡΕΙΝΑ legit ΚΗΣΩΡΕΙΝΑ, in voce ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΑ loco Θ. literam Τ. venditat, ſuppreſſoque ſpei ſimulacro, alteri, loco baculi, palmam appingit, omiſſa denuo tota, & aſſurgente cotam non Grypho, ſed cane: Quæ omnia in

pto-

proposita secus se habent, adeò ut hæc differentia sufficiens mihi causa sit, ut cramben bis coctam denuò recoquere sustineam.

Quod inscriptionem attinet, procul dubio GRUTERUM erasse fateberis, procul dubio agnosces BOISSARDUM loco Θ.H. literas Θ.K. rectè substituere, cum statam & usitatam formulam. ΘΕΟΙΣ ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙΣ *Diis manibus*, iis credi debeat expressisse artifex, quam plena literarum serie apud eundem BOISSARDUM parte V. p. 94. & parte VI. pag. 144. legimus.

Sed in his ut BOISSARDUM amplectimur, ita non probamus omissam literam N. in voce ΚΗΣΩΡΕΙΝΑ, pro ΚΗΝΣΩΡΕΙΝΑ. Censorina notissimum nomen est; at Cesorina nullibi, quod sciam, legitur: simili modo in voce ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΑ, non literam T. sed Θ. agnoscendum arbitramur, tum genuina vocis Etymologia moti, tum duplici, GRUTERI scilicet, & PIGHII Authoritate.

His ita præmissis de sensu inscriptionis laborandum. Gruterus ΕΛΠΙΔΙ ΕΩΟΣ *spei resurrectionis*, videtur interpretari, an autem Vox ΕΩΣ pro resurrectione pònatur, haud abs re fortasse dubitaveris. Auroram ea sonat, non resurrectionem. Si dicas, resurrectionem mortuorum, venturæ diei æternæ quasi auroram esse, respondeo: in inscriptionibus vocabula propriè esse intelligenda, unde etiam simulacra propriam significationem, ut ΕΛΠΙΔΟΣ *spei*, ita & ΕΩΟΣ *Auroræ* stabiliunt, id quod infra pluribus docebimur.

Hæc dum dico, subit dubium, an voces, ΕΛΠΙΔΙ ΕΩΟΣ, Nomina Appellativa sint, an Propria? Pro propriis militat copula ΚΑΙ. Quæ ut post se nomen proprium habet, ita & ante se videtur requirere. Non refragatur vox ΕΛΠΙΔΙ, quæ non tantùm spem significat, sed & variis in inscriptionibus nomen proprium est. Ita apud GRUT. pag. 788. No. 5. & BOISSARDO Parte IV. pag. 138.

DIS MANIBUS
HELPIDI CONJUGI
HELIUS
B. M. F.
V. A. XXXV.

 Ut

Ut alias taceam, quæ videri possunt apud Eundem pag. 977. No. 11. pag 479. No. 4. pag. 613. No. 5. pag. 319. No. 4. pag. 632. No. 8. & apud BOISSARDUM variis in locis: Ne autem adspirationem H. conjecturæ obstare arbitreris, audi iterum GRUTERUM pag. 930. No. 10.

L. STRATONICUS ELPIDI EARINÆ
CONJUGI. &c.

Et denuo pag. 973. No. 1. eadem pagina, qua & Pighianum.

ELPIS AMPELI
CONSERVA.

Ut proinde absurdum non sit, si vocem ΕΛΠΙΔΙ nomen proprium statuamus, & ΕΛΠΙΔΙ ΕΩΟΣ non *spei Auroræ*, aut cum Grutero, *resurrectionis* interpretemur, sed ΕΛΠΙΔΙ ΕΩΟΣ filiæ, adeoque totam Inscriptionem hoc modo vertamus.

D. M.
ELPIDI EOI F.
ET CENSORINÆ
HONORATISSIMÆ
LIBERTA
POSUIT.

Sed, inquis, adjunctæ figuræ, *spes* scilicet & *Aurora* evincunt, non Nomina Propria hæc esse, sed Appellativa? Facilis est responsio: Nomina Propria esse non negant; sed appellativorum sensum simul involvere, id est, quod juxta indigitant. Res in lapidibus insolita non est: Monumentum T. STATILI. VOL. APRI. testem se sistit. In eo *aper mortuus* exprimitur, non ut Apri cognomen nomen proprium negetur, sed ut ambiguitas vocis *Apri* insinuetur: Sistit se testem, Patrem, Matrem, & Liberos lugens, lacrumisque confecta CYPRIS, quæ tanquam altera Cypris sive Venus, venustate haud vulgari inter duas Cyparissus aræ adstat, defunctisque justa solvit. Utrumque videas apud BOISSARDUM. Taceo numismata, ubi Acilii Æsculapium cum salute & valetudine: L. Antonius Pietas, Pietatem: Lucretius Trio, Triones: Manlius Torquatus, Torquem: Poblicius Malleolus, Malleum: Alii alia expressere: omnes

omnes ad indicandum vel Nominum vel Cognominum ſuorum ſive originem, ſive ſignificationem. In monumento noſtro *ſpem* cernimus & Auroram. De Spei ſimulacro omnia plana ſunt. De ſimulacro Auroræ res obſcurior. Cephalum rapientis meminit PAUSANIAS, *tam in Atticis, quam in Laconicis:* Jovi pro filiis cum Thetide ſupplicantis, *Eliac priore*; Sed utrinque de habitu tacet. Poëtarum Elogia eam aliter deſcribunt, quam in noſtro monumento deſignatur; HOMERUS ei *Auream ſedem* tribuit Ὀδυσ. κ. 541. Et alibi tribuit *equos, Lampum* & *Phaëthonta* Odyſſ. 23. ψ. 256. Quibus alii *Pegaſum* ſubſtituunt, quem poſt Bellerophontis caſum à Jove Aurora impetraverit. Equos habet & THEOCRITUS Id. β. ψ. 148.

ἵπποι
Αὼ τὰν ῥοδόπηχον ἀπ' Ὠκεανοῖο φέροισαι.
Equi
Auroram roſeam ab oceano ferentes.

Sed in propoſito monumento nec Equus nec Aurea ſedes, nec denique Pegaſus; *Rota* adeſt & *Gryphus*, illa procul dubio, quod vias Auroræ aperiat, hic ad indicandam arctiorem cum Phœbo neceſſitatem, cujus ſecundum ORPHEUM ἀγγελεῖα *nuncia* credebatur, quod & VIRGILIUS confirmat, *præviam flammiferi currus* appellans, in Experimentis. Gryphum certè Phœbo ſacrum, ex varia Antiquitatis ſupellectile jam dudum patet, & declarat CLAUDIANUS his verſibus:

At ſi Phœbus adeſt & frenis GRYPHA *jugalem*
Riphæo tripodas repetens detorſit ab axe.

Ex quibus lucem ſimul mutuantur quatuor Gryphi apud CL. SPONIUM currui juncti, quas apud Indos ſolem ipſum denotare ÆLIANUS prodit lib. 4. de Animal cap. 27. Ratio conſecrationis in animalium, quibus Gryphus componitur, *Aquilæ* ſcilicet & *Leonis*, dominatu ſita eſt, quod omnibus dominanti ſideri non alia magis conveniant, quam quæ in ſuo genere dominatum ſibi vindicaſſent.

Sed

Sed ad propositum revertimur, reliquum Auroræ habitum contemplaturi. VINCENTIUS CHARTARIUS in Iconologia Deorum, ubi Auroram currui insistentem, Pegasoque tractam exhibet, addit & aversam numismatis primi sub Plautia Gente, in qua figura alata quatuor inter Equos, quos frenis dirigit, volare videtur. Procul dubio etiam hanc Auroram putavit: Et stabiliri posset opinio non solum, quod, ut supra audivimus, Aurora Solis prævia fuerit, & in aversa Solis caput exhibeatur: sed etiam quod in nostro monumento eadem alata occurrat; Sed dubium movet notissimum Victoriæ simulacrum, id enim non modo alatum fuisse, sed etiam soli egregie videtur quadrare, cum hic *invictus* passim in antiquis monumentis nuncupetur, & apud Celeberrimum SPONIUM, loco supra citato, etiam à Victoria coronetur: Dubium movent Horæ, cum & has *alatas* fuisse vel SENECA teste constet:

Volat ambiguis mobilis ALIS Hora,

OVIDIOQUE canente

Jungere Equos Titan Velocibus imperet Horis.


Secundum quod forsitan non erraveris, si horarum aliquam Equos Titani adducturam in Plautii nummo agnoscas. Ego quid sequendum, in medio relinquam. Bacillus in mentem venit, quem Aurora nostra manu non ad Gryphum demittit, sed juxta alam elevat. Supra diximus BOISSARDUM non bacillum, sed palmam habere, procul dubio, quod non auroræ, sed victoriæ hoc simulacrum crederet; Sed bacillum agnoscit non PIGHIUS tantum, sed etiam GRUTERUS, Et quid si nec bacillus sit, sed *Lampas*, secundum SILIUM ITALICUM. lib. 12.

Atque ubi nox depulsa polo, primaque rubescit
LAMPADE *Neptunus, revocatque AURORA labores.*

Accedit & CHARTARIUS loco supra citato, qui Auroram & ipse cum lampade exhibuit, unde & λαμπαδηφόρον dictam, GYRALDUS testatur.


XIV.

XIV.



ARam hanc Tectis, vulgo Teu, in Marchionatu Francimontano, Diœcesi Leodiensi, inventam, & anno 1557. Mense Augusto exscriptam, PIGHIUS author est, qui & dextro lateri sertum, semi-coronæ formâ, ex arietis capite dependens; lateri autem sinistro, quædam militum simulacra, vetustate adeò attrita, ut vix agnoscerentur, insculpta fuisse, memorat. De loco ita scribit. *Teu*, inquit, *Tectum sonat lingua Leodiensi; Est autem Tectis nunc pagus, quem sepulcra veterum Romanorum illic inventa, ædificia quoque & Numismata, nec non aliquot saxa, Latinis antiquis literis inscripta, præter ipsum nomen, antiquam appellationem vulgo significans, Civitatem Romanis non ignotam testantur. Quia & Jul. Cæsar* Tectosagorum *populorum Belgicæ, à* Tectis *civitate meminit.* Hæc PIGHIUS. Inscriptionem ita legimus: *IN Honorem Deorum Deo Invicto Mithræ AXsius VERUS Q. VETII ET PROBINUS VERI filius* (scilicet, posuerunt) *Voto Soluto Libenter Merito.* Quinti Vetii Ingenui meminit inscriptio Gruteriana pag. 567. No, 9. vocaturque Veteranus cohortis III. Prætoriæ ex Provincia Germania Inferiore, quæ utique ad nostrum aliquid lucis aspergere videbuntur, convenientibus non nomine tantùm, sed & loco militiæ, cum loco inventæ aræ: imò & militia ipsa, cum militibus in aræ latere expressis.

XV.


D . I . M . A . P . P .
FREIO . ET . FRIATTO .
V . S . L . M .

EOdem, quo superior, etiam hæc ara inventa est loco, eodemque anno & mense exscripta. Ita legimus: *Deo Invicto Mithra Aram Posuerunt FREIO ET FRIATTO Voto Soluto Libenter Merito.* Nomina *Freio* & *Friatto* hactenus quòd sciam, non apparuerunt. Forsitan à Dea *Frea* sive *Fria* deduxeris, quæ veteribus Germanis *Venus* fuit, & à qua hodienum dies Veneris, non Germanis tantùm, sed & Belgis, & Anglis aliisque denominatur.

XVI.

ΔΑΙΜΟΝΙ . ΠΕΡϹΕΙΗ . ΠΟΛΥΜΟΡΦΩ . ΜΕΙϹΟΠΟΝΗΡΩ.

Repertum in Capitolio ad arcem, Sub statua Triformis Deæ.


INscriptionem hanc, sub statua Triformis Deæ, in Capitolio ad arcem, repertam, se ipsum cum Pyrrho vidisse PIGHIUS noster asserit. Sub Statua Triformis Deæ! Id arguit etiam Vocabulum *πολυμόρφῳ*. Quid autem Dæmon *περσεῖα*? quid *μεισοπονήρῳ*? posterius pro *μισοπονήρῳ* positum, & *Mali osorum* significare, publico scripto monitus sum, id quòd cum gratiâ hìc & agnosco & fateor. Prius ex illo Ovidii lucem mutuatur:

Ibat ad antiquas Hecates perseidos aras.

Ratio appellationis vel in ortu consistit, vel in loco cultus. Hecate, si Hesiodum audis, Persei filia erat. Et Diodorus Siculus de Dianâ, quæ cum Hecate eadem creditur: *A locis*, inquit, *Ephesia*, *Cressa*, *Tauropola*, *& PERSIÆ cognomina reportavit; A Persis enim hæc Dea plurimùm colitur.*

XVII.

XVII.


SIMVLACRVM.MINERBAE.
ABOLENDO.INCENDIO.
TVMVLTVS.CIVILIS.IGNI.
TECTO.CADENTE.CONFRACTVM
ANICIVS.ACILIVS.AGINATIVS.
FAVSTVS.V.C.ET.INL.PRAEF.VRBI
VIC.SAC.IVD.IN.MELIVS.
INTEGRO.PROVISO.PRO.
BEATITVDINE.TEMPORIS.RESTITVIT
In vinea Pontif.

GRUTERUS pag. 1064. superius tantùm hujus marmoris fragmentum habet. PIGHIUS habet & posterius, utrumque in Vinea Pontificis spectandum. An Anicius Acilius Aginatius Faustus, idem sit cum Anicio Fausto, Boethii ætate Consule, dubitari potest. Quicquid sit; Virum Consularem & INLUSTREM, Præfectumque urbi viceque sacra judicem fuisse, simulacrumque Minervæ, abolendo incendio Tumultus civilis, igni tecto cadente confractum, restituisse: & restituisse integro proviso, & pro beatitudine temporis, si non aliunde, certe ex marmore docemur. B. pro V. in voce Minerbæ novi nihil est: Ita in nummis Beneri pro Veneri, ut taceam exempla apud GRUTERUM frequentissima. Ignis tumultus Civilis, incendium abolendum nuncupatur, ut ejus enormitas pateat, eodem modo, quo LUCANUS bella Civilia, *plus quam bella* vocavit. De Consulari dignitate & Præfectura urbis res trita est. *Vice sacra judicans* sæpius occurrit apud GRUTERUM, idemque sonat, ac *Vice Imperatoris*, id quod ex alia Gruteri Inscriptione pag. 168. No. 4. clarum est: VICE M. AUREL IMP. SACRA BETICAM GUBERNANS &c.

Beatitudo temporis in Magnentii nummo *Publica* dicitur, ita & *beata tranquillitas*, in nummo Constantini M. & *Beatissimi Cæsares*, apud eundem GRUTERUM.

XVIII.

MARTI . SERGOMONI . SACRVM .
Q. ADCINNIVS . . .
VRBICI . FIL . MARTINVS .
SACERDOS ROMAE . ET . AVG .
MVNATIO . PANSA . . COS .
II VIR . IN . CIVITATE . SEQVANORVM .
III PROVINCIAE . GALLIAE . HONORES .
SVIS . DECREVERVNT .

Est etiam hæc inscriptio apud GRUTERUM; sed *Marti Segomoni* habet, cum noster *SERGOMONI* legat, ut taceam lineam secundam, ubi GRUTERUS *Annua* legit, cum PIGHIO Q. ADCINNIUS appareat. Taceo II. *virum* quem GRUTERUS omisit & numerum III. loco cujus literam E. posuit. Sed punctis à Vertice linearum adjectis inscriptionem mutilam haud obscurè significat, proindeque fragmentum asserit, Lugduni in turre S. Petri Monialium spectandum. Locus etiam in PIGHIANO adscriptus est, & fragmentum evincit verbum *decreverunt*, nisi loco MUNATIO PANSA *Munatius Pansa* legendum sit, quo posito sensus planus foret: scilicet ut marmor Marti Sergomoni sacrum esse, Quintumque Adcinnium, Urbici filium, Martinum, Sacerdotem Romæ & Augusti, & Munatium Pansam Consulem Duum virumque in Civitate Sequanorum Tertiæ Provinciæ Galliæ, honores suis decrevisse intelligamus.

XIX.




EX PRAE
CEPTO
I. O. MD
PER
ACACI
VM
NOTARI
VM
ET
OLYMPI
VM
PATREM
ANTONII. MARIANI. PATER. ET. FILIVS
SIMVLACRVM. APOLLINIS
STATVERVNT

XIX.
ACACIUS NOTARIUS.

MArmoream hanc Apollinis, cum basi & Inscriptione, statuam, Romæ in Hortis Card. Cæsii olim exstantem, describit, ut solet, Celeberrimus GRUTERUS; Quod ille describit, nos cœlo expressum sistimus, non mutilum, sed, fide PIGHII nostri, integrum. Acacium Notarium legimus. Notarium GRUTERUS omisit. Ita ex GRUTERO quidem, statuam hanc ab *Antoniis Marianis, Patre & filio, erectam*, & ab *Acacio & Olympio Patre* dedicatam discimus, *idque ex præcepto Jovis Optimi Maximi;* Sed ex PIGHIO etiam discimus, *Acacium* hunc vel *Notarium* fuisse officio, vel *Notarii* cognomen gestasse.

Notarios fuisse officio eos, qui per notas quàm celerrimè scribebant, adeò, ut linguam loquentium non assequerentur, sed præverterent, ex variis Authorum descriptionibus patet. AUSONIUS Ep. 137. *Puerum Notarum præpetum* vocat; *Notarium velocem* vocat MARTIALIS L.10. 62. qui & alibi:

Nondum lingua, suum dextra peregit opus.

HENRICUS STEPHANUS, in Thes. Linguæ Latinæ, Notarium Græcè γραμματέα & Σημειογράφον vertit; sed differebant γραμματεὺς & Σημειογράφος, non officio tantùm, sed etiam dignitate. Γραμματεὺς scribam denotat, sive qui literis scribit, Notarius aut Σημειογράφος, eum, qui signis. Scribæ apud Romanos, secundum quosdam, ad dignitates non assurgebant, quanquam aliter apud Græcos, id quod ex CORNELIO NEPOTE probant *in Vita Eumenis*, ubi scribarum munus apud Græcos multo honorificentius fuisse, quàm apud Romanos scribit; Græcos enim admisisse eos tantùm, qui honesto loco nati, & exploratæ industriæ essent, Romanos autem eos Mercenariorum loco habuisse: addunt etiam PLUTARCHUM in *Catone*, ubi Cato Scribas, ad altiora adspirantes, in ordinem redegisse legitur: Notarios autem, pergunt, à Cicerone Originem habuisse, teste PLUTARCHO in *Vitis Illustribus:* Imò secundum DIONEM CASSIUM, ad Mœcenatem inventum referri: Certè usum eo Ciceronem, ipso teste *Lib. 15. ad Atticum* constare: De dignitate testari Antiquitatis reliquias:

Claudianum Poëtam apud GRUTERUM *Tribunum* & *Notarium* vocari, qualiter & Petronius Maximus apud Eundem pag. 449. No. 7. Hæc & ſimilia pro Notariis adferuntur, quòd quidem refellere animus non eſt; an autem ſupra Scribas eos evehant, dubitari adhuc poſſet. Scribas certè ordinem obtinuiſſe Equeſtri proximum, diſtinctosque per decurias, TORRENTIUS *ad Suetonii Claudium* ait, ubi *capite 1.* Druſi corpus per Municipiorum Coloniarumq; Primores, ſuſcipientibus obviis SCRIBARUM DECURIIS, ad Urbem devectum, memoratur.

XX.



DE priore hujus Inſcriptionis, ſanè quam brevisſimæ, vocabulo duplex poteſt eſſe ſenſus. Alter figuris quadrat, alter Inſcriptionum genio, imò & ipſis literarum apud Antiquos figuris, propior eſt. De utroque dicendum libero Lectoris arbitrio, utri ſubſcribere dignetur. Vel ΛΥΣΟΝ legere potes, vel ΛΥΞΟΝ; Si ΛΥΣΟΝ, idem erit ac *Solve*, *Animam* ſcilicet *à Corpore*. Θεοὶ λύσιοι apud Pollucem lib.V. cap.26. Quos in Saxo Auguſtodun. apud GRUTERUM pag. MCLIX. No.12. tanquam Manium Cuſtodes, Curatoresque, accipit REYNESIUS CL.1. No. 23. Plutonem hos inter fuiſſe, Veterum Theologia abundè teſtatur. NICANDRI interpretes,

pretes, εὔβυλον, εὐβύλιον & εὐβυλία cognominatum ajunt, quòd mortalibus consulere credatur, finemque curis ac laboribus, cæterisque moribus afferre, mortis enim vitæque dator Gentilibus erat. Parca apud CLAUDIANUM.

O Maxime noctis
Arbiter, umbrarumque potens, cui nostra laborant
Stamina, qui finem cunctis & semina prabes,
Nascendique vices aliena morte rependis,
Qui vitam letumque regis; nam quicquid ubique
Gignit materies, hoc te donante creatur,
Debeturque Tibi certis ambagibus Ævi.

ALBRICUS *de Imaginibus Deorum* Plutonem Deum animarum, juste decendentium: simulacrumque ejus, hominem terribilem, in solio Sulphureo sedentem, dextraque manu sceptrum tenentem, & sinistra animam constringentem, Antiquis asserit fuisse. Ejus ex mente dubitares, an proposito in marmore Proserpinam, annon potius animam sub umbras Pluto duceret; Aut quòd forsitan propius est, annon Proserpinæ raptus occulto sensu mortem hominum denotet? Et is, qui lapidem posuit, Plutonem invocaverit, ut se solveret, aut tanquam juste decedentem susciperet, eodem modo, quo apud GRUTERUM pag. DCCLXIX. No. 4. Conjux ad Chrestam uxorem Ευψυχει, καμὲ μένει τὸ θανεῖν, *bono animo esto, & duc me etiam ad mortem.* Quæ formula miseriarum cumulo fessis insolita non est, ideoque precatio apud SOPHOCLEM:

Κακῶς ὄλοιο μηδὲ σ' γέων ποτὼ
Τῶν νῦν ἀπαλλάξειαν οἱ κάτω θεοί.
Perdare pessime, è malis præsentibus
Nunquam Dii te liberent opto inferi.

Ubi non Plutoni tantùm, sed in genere Diis inferis ea liberandi potestas tribuitur: quanquam illi, tanquam inferorum Regi, hoc præcipuè conveniat, qui inter cætera potestatis insignia, si PAUSANIAM audis, etiam *clavem* gestavit: Secundum quosdam, quòd non daretur reditus ejus regiam ingressis; Sed si rationem ex hactenns

deductis

deductis attendas, etiam quòd per mortem, ſquallidum animæ carcerem recluderet, animasque inde educeret, ac ſimul à miſeriis liberaret. Quicquid ſit, figura Proſerpinæ raptum exprimit. Proſerpinæ, de qua ORPHEUS *in Hymno.*

> Ζωὴ καὶ θάνατος μόνη θνητοῖς πολυμόχθοις
> φερσεφόνεια φέρεις γαρ ἀεὶ καὶ πάντα φονεύεις.

Quibus in verbis Proſerpinæ tribuitur, quod hactenus Plutoni, ſed id mirum non eſt, cùm, ut modo diximus, de Diis inferis in genere id affirmetur. Proſerpinam Pluto in Quadrigis memoratur rapuiſſe. Equorum nomina ſunt apud CLAUDIANUM:

> ORPHNÆUS *crudele micans* ÆTHONQUE *ſagittâ*
> *Ocyor, & Stygii crudelis gloria* NYCTEUS
> *Armenti, Ditisque nota ſignatus* ALASTOR.

Sed de priore inſcriptionis noſtræ ſenſu hæc ſufficiant. Alterum licet obſcuriorem, tamen veriorem arbitramur. Fulcit eam exigua literæ Λ. interjecta virgula, quæ eam in A. mutat, id quod ex lapide apud BOISSARDUM Parte VI. pag. 54. abundè patet, adeò ut inſcriptionem noſtram jam non λυσον ſed ΑΥΣΟΝ legere debeamus, quod procul dubio nomen proprium ejus eſt, cui marmor poſitum, quemque ex communi formula εὐψυχεῖν *bono animo eſſe* aut *valere* jubet is, qui marmoris author eſt. Εὐψυχι GRUTERUS *Concorditer* vertit, ſed REYNESIUS pro *Vale, bono animo eſto,* aut ſimili, Romanis Quadratariis ſolenniter poſitum, latius docet adductis exemplis, ΕΡΩΤΙ ΕΥΨΥΧΙ *Erotion Vale* & ΕΥΨΥΧΕΙ ΤΕΚΝΟΝ ΟΥΔΕΙΣ ΑΘΑΝΑΤΟΣ *bono animo eſto fili. Nemo immortalis eſt.*

XXI.

XXI.



GRUTERUS ad hoc Marmor pag. 34. No. 6. sequentia habet: *Romæ*, inquit, *sub Ara Cœli, in ea Capitolii parte, quæ Aquilonem spectat, Templum subterraneum est, ubi Mithræ simulacrum perelegans est & magnificum. Stant utrinque viri duo, supra quos stellæ singulæ, Oriens scilicet & Occidens. In collo Tauri* NAMA SEBESIO, *lingua Persica, ut opinor. In ventre autem hæc:* DEO SOLI INVICTO MITHRÆ, *in infimo solo* -- *NAR* -- *NE* -- *CS.* Ex quibus, præter locum marmoris, etiam mens GRUTERI de *Nama Sebesio* elucescet. Non item inscriptio basis, nec figurarum sufficiens notitia. PIGHIUS in utraque succurrit. Marmoris delineationem suppeditat, & Inscriptionem. C.C. AUFIDII JANUARIUS in ea legitur, quod nomen procul dubio eum denotat, cujus auspiciis marmor dicatum fuit. Aufidii & Historicis & Poëtis celebrantur. Celebrantur & superstite nobilioris Antiquitatis copiâ. *C. Aufidius* est in Inscriptione Lugdunensi, apud GRUTERUM pag. 721. No. 5. qui an *C. Aufidii Januarii*, cujus Marmor meminit, Pater fuerit,

N dubitari

dubitari poteſt. Quicquid ſit: *Mithram* veneratur, & ne neſcius eſſes, quis ſub eo lateret, adjecit *Deum Solem*: DEO SOLI INVICTO MITHRÆ. Solem *Mithram* vocabant Perſæ, eodem modo, quo Ægyptii *Oſirim*, id quod ex STATIO palam eſt:

Seu Te roſeum Titana vocari
Gentis Achæmeniæ ritu, ſeu præſtat Oſyrim
Frugiferum, ſeu Perſei ſub rupibus antri
Indignata ſequi torquentem cornua MITHRAM.

Mithræ habitum deſcribit LUCIANUS in Concilio Deorum: *Mithras ille Medus, qui indumento Perſico amictus, ac Tiara redimitus eſt.* Hæc cùm ita ſint, facile patet, varias Solis actiones hoc ſchemate præfigurari, duaſque figuras, à latere ſtantes, eundem Mithram repræſentare; alteram orientem, alteram occidentem, appoſitè ad mentem GRUTERI, id quod in alio PIGHII noſtri, quod & ipſum infra ſiſtimus, indubiè patet; Duæ enim illæ figuræ facem, altera elevat, altera deprimit: eodem habitu inſignes, quò Mithram LUCIANUS deſcripſit. De figura Taurum proſternente, & cultro fodiente, varia opinio circumfertur. Communior &, me judice, verior Taurum Terræ ſymbolum ſtatuit, Mithramq; Taurum fodientem, Symbolum Solis, radio ſuo in Terræ viſcera penetrantis, eoque fertilitatem adjuvantis. Id videntur adumbrare ſpicæ, in ſequenti marmore ex Tauri cauda exſurgentes: Id Scorpius ad membrum genitale, quod ex iis conſtat, quæ inter Gemmas de Scorpio diximus: Eodem & Serpens & Leo; Serpens enim terrigena & Cereris aſſecla fertur, & Leo Matri Deorum ſacer eſt, quæ & ipſa pro terra ponitur. Forſitan Leonem & Canem ad Solis vehementiam retuleris, eò quod in Leone ferveat, & Caniculæ vis notiſſima ſit. Id opinioni noſtræ non refragatur. Sunt tamen, qui aliam foveant. Audiatur LUTATIUS Statii interpres: *Mithræ ſimulacrum*, inquit, *fingebatur reluctantis tauri cornua retentare, quò ſignificabatur, Lunam ab eo lumen accipere, cùm cœperit ab ejus radiis ſegregari.* Ita & LEONHARDUS AUGUSTINI, cùm ſuperiora notâſſet, ſub Mithra taurum fodiente, Solem in Tauri ſigno intelligit, menſe ſcil. Aprili, quo gravidam terram aperire, & calore ſuo ſemina rerum protrudere ſolet. Idem Scorpium juxta genitalia, ad Solem in Scorpio refert, menſe ſcil. Octobri, quò

ſemina

ſemina amiſſo vigore propter frigus concluduntur, ad colligendam in viſceribus terræ fœcunditatem: quod inſinuet & Cancer, cùm Sol in eo ſigno deficere incipiat. Hæc licet à noſtra opinione diverſa, ſatis tamen probabilia agnoſcimus, qualia & ſunt, quæ à PIGHIO dantur. Ita ille ad marmor Borgeſianum

Deſignatio picturæ hieroglyphicæ,
OFFICIUM BONI COLONI
Exprimentis, ex antiqua marmorea tabula, quæ Romæ aſſervatur, in ædibus Octaviani Zini, prope theatrum Pompeji & campum Floræ.



(A) Sol oriens. (B) Natura rerum Solis comes. (C) Tria Solis tempora. (D) Luna occidens. (E) Natura rerum velox, Lunæ celeri adjuncta. (F) Quatuor Lunæ tempora, nova, ſemiplena, plena, & iterum ſemiplena. (G) Dies facem extollens. (H) Nox facem dejiciens, (I) Cor-

(I) Corvus diligentiam notans. (K) Terræ Colonus, optimus & diligens Agricola. (L) Bos sive taurus, terram designans. (M) Gladius tauro infixus, laborem arationis, fossionis ostendens. (N) Sanguis, terræ fructus innuens. (O) Canis, amoris & fidei signum. (P) Serpens, providentiæ icon. (Q) Leo, quô robur significatur. (R) Cancer, qui creationem. (S) Scorpius, qui generationem demonstrat. (T) Spicæ, terræ fructus indicantes. (V) Arbor nocturna, cum Scorpione generationis. (X) Arbor diurna cum bovis capite, labores notans. Adducit hanc picturam D. Joachimus Camerarius I.F. Medicus Norimbergensis in libello de re rustica excuss. Norimb. 1577. in quarto. Hæc PIGHIUS.

XXII.

C.CAVARIVS.SEX.F.TERRI
APVLVS.IIIIVIR.I.D.PONTIFEX.PR
PATRONVS. MVNIC
CORNELIAE.P.F.INSTAR.MATRIS.NO
AQVAM.SALVTAREM.IMPENSA.SVA

AQuæ variis, inter Vetustatis reliquias, cognominibus distinguuntur: Apud GRUTERUM est *Aqua Augusta*, est *Cærulia* est *Claudia*, est *Curtia*, est *Martia*, est *Trajana*, est *Virgo*: Apud REYNESIUM sunt *Aquæ Urbis Romæ*, est *Aqua Anienis*, Aqua *Appia*, Aqua *Tepula*; Sed Aquam *Salutarem* quis hactenus exhibuit? Equidem apud REYNESIUM Classe VII. No. 3. necesse esse dicitur, aliquam partem aquæ ex Castellis effluere, quod hoc pertineat ad Urbis *salubritatem*; Sed *salutaris* elogium, quod proposito fragmento, aquæ tribuitur, non hoc tantùm innuere, sed & ipsam aquæ Virtutem videtur celebrare, quòd scilicet Salutem restituat, id quod hodiè in thermis, aquisque mineralibus usu venit. Talem aquam C. CAVARIUS SEXti Filius TERRItorio APULUS, IVVIR Juris Dicendi, PONTIFEX

&

& PRætor PATRONUSque & MUNICeps, CORNELIÆ Publii Filiæ INSTAR MATRIS NOminandæ, SUA IMPENSA, dicitur, an aperuisse an munivisse?


XXIII.

CORNELIAE
SALONINAE.
SANCTISSIMAE
AVG.CONIVGI.
DNGALLIENI.
INVICTI.AVG.
FERENTINATES.
NOVANIDEVOTI.NVMI
NI.MAIESTATIQ.EIVS.

PLures Inscriptiones, variis à Civitatibus Saloninæ Aug. dicatæ, sunt apud GRUTERUM; Sed à *Ferentinatibus* posita, hactenus non apparuit. PIGHIO eam debemus, cui & reliquas omnes. Ferentinates à Ferentino, nobili Hernicorum Oppido, dictos ex LIVIO constat Lib. VIII. Ubi hæc: *Hernicorum tribus populis, Alatrinati, Verulano, Ferentinati, quia maluerunt, quam civitatem, sua legis reddita.* Ab initio Ferentinum, oppidum Volscorum erat, ideoque apud eundem LIVIUM Lib. 4. *Adversus Volscos, populantes Hernicorum fines, Legiones ducta à Furio Cos. Quum hostem ibi non invenissent, Ferentinum, quò magna multitudo Volscorum se contulerat, cepere. Minus prada, quam speraverat, fuit, quod Volsci, postquam spes tuendi exigua erat, sublatis rebus, noctu oppidum reliquerunt. Postero die propè desertum capitur. Hernicis ipse ager dono datus.* Et postea Volsci queruntur: *Nec ipsos modo Romanos sua divisa habere, sed Ferentinum etiam de se captum Hernicis donasse.* Erat adhuc aliud Ferentinum, Etruriæ scilicet, apud Ptolemæum aliosque, corruptè nunc *Fiorentino* dictum. Quod probè à Fe-

rentino Hernicorum distingui debet; Sed de his constat: Non item ratio, cur Ferentinates *Novani* dicantur. Est apud GRUTERUM pag. 115. No. 6. Inscriptio, in qua etiam Fabraterni *Novani* audiunt. Alibi iidem etiam vocantur *Novi*, Et in Inscriptione sequente Lanuvini *Veteres*. An ex priorum synonymia, & ex posterioris oppositione, conjicere liceat, Novanos eos esse, qui noviter in Civitatem, vel per Coloniam adducti, vel aliundè assumti erant!

XXIV.



DE *Novanis* modo dictum. Propositum marmor etiam *Veteres* objicit. GRUTERUS alterum tantùm fragmentum exhibet. PIGHIUS exhibet utrumque; an integrum? dubitari potest. GRUTERUS enim post lineam quartam interserit NERVÆ PRONEP. & linea octava habet Cos. II. Quicquid sit, Senatûs Populique Lanuvini Veterum, erga Antoninum Pium Pietatis, egregium hic cernimus monumentum. Et memorabile est, quod Julius Capitolinus ait: *Lanuvina Templa Antoninum Pium restituisse.*

XXV.

XXV.

CALLISTENES.CHRESTVS.
CAESAR.ATRIE.ARCEL.
CONDISCIPVLI

EX voce *Condiscipuli* intelligimus, duos fuisse, qui hoc marmore celebrantur, CALLISTHENEM scilicet & CHRESTUM. Ex linea secunda discimus, eos fuisse *Atrienses Cæsaris Arcellarios.* Atrienses dicuntur ab Atrio, quod scilicet in eo opus facerent, ut RHOE ATRIENSIS DE BASILICA apud REYNES. Classe XI. n. 39. cujus ministerium arbitratur, *Basilicam scopis mundare, purgamenta everrere, spongiis detergere gradus, nitidas ostendere columnas, & prorsus facere id, quod Æschinem cum Patre suo Drometo cavillatur* DEMOSTHENES, λόγῳ περὶ τοῦ στεφάνου. Sed *Callisthenes* & *Chrestus* paulò altioris fortunæ fuêre. *Atrienses* dicuntur non simpliciter, sed *Atrienses Arcellarii*, & quidem *Cæsaris.* An Cæsar pro Julio Cæsare, an pro alio, sub quo vixerint, sumi debeat, incerta disquisitio est. Quicquid sit, officium Arcellariorum tali Domino aliquantisper elevatur. *Arcellarios* ab *Arcellis* dictos arbitror, uti *Arcarios* ab *Arcis*, quas custodiebant. *Arcarii* apud GRUTERUM mentio est pag. 103. n. 10. est & *Arcarii Servi* pag 463. n. 2.

XXVI.

XXVI.

L.NAEVIVS.L.F.SVRDINVS.
PR
INTER.CIVIS.ET.PEREGRINOS

LUcium Nævium Surdinum, qui hic memoratur, filium fuisse *L. Nævii Surdini*, cujus mentio exstat in Fragmento Fastorum Municipalium, è Vico S. Pauli, propè Nolam apud GRUTERUM pag. 1087. n. I. evincere videntur adscriptæ literæ L. F. Prætoris inter Cives & Peregrinos, mentio est in Lege de Pœnis eorum, qui aquæductus violaverint, apud REYNESIUM, Class. 7. n. 10. Verba ita habent: Tum is *Prætor*, qui *inter Cives & Peregrinos* jus dicit, mulctatum pignoribus cogito. &c.

XXVII.

K.
ΦΑVCΤΟC. ΗΡΑ
ЄΙΝΗ ΤΈΚΝѠ ΖΗ
CΑΝΤΙ.Μ̄.ΙΗ̄ ΗΜЄΡ
Α.Ψ̄ Є̄ ΜΝЄΙΑC.ΧΑ
ΡΙΝ.ЄΠΟΙΗCЄΝ.

QUod nondum vulgatum hoc marmor, ideo videtur proponendum. Nihil continet, quod Græcè Gnaris non statim appareat; Latinè ita vertimus: Faustus Erainæ filiæ, quæ vixit menses XVI. diem unum, horas V. memoriæ gratia fecit. An faustus hic sit ille, qui apud GRUTERUM pag. 409. n. 5. VI Vir & Augustalis inter primos Augustales, à Decurionibus, Augustalis factus, Viriæ maximæ, Uxori, & Urso, Lupo, Leoniqúe Libertis futuris, monumentum posuit, an alius? dubitari potest.

XXVIII.

XXVIII.





HOc Marmor hactenus, quod sciam, vulgatum non est. *Alledia Marcia* id posuerunt *Alledius Trofimianus & Ælia Marina.* Ælia Marina est in Inscriptione apud GRUTERUM pag. 806. n. 3.

O MARIO

MARIO CRIS
PINO CONJUGI
KARISSIMO. QVI
VIX. ANN. XXXVIII. MES.
VIII. DIES XII. AELIA
MARINA CONJUNX
CUM QUO VIXIT ANN. I.
MENSIB. VII. DIEB. XVI.
BENE MERE
NTI FECIT.

Ex hac Inſcriptione intelligimus, Æliam Marinam Alledio non Virginem nupſiſſe, ſed Viduam, poſtquam ſc. Mario Criſpino annum unum, menſes ſeptem, & dies ſedecim cohabitâſſet. Intelligimus pietatem in Maritum priorem, uti in propoſito in Filiam, quam ex Marito altero Alledio Trofimiano ſuſceperat. An Alledii iidem fuerint cum Allidiis, dubitari poteſt. Si ſtatuas, duo ſunt apud GRUTERUM. M. Allidius Comminianus, pag. 667. n. 2. & M. Allidius Fortunatus, pag. 189. Eſt & Allidia C. L. Nebris, pag. 476. n. 8. & Allidia Sedata, pag. 667. n. 2. Si non ſtatuas, attamen T. Alledium Severum non negabis, qui TACITO lib. 12. c. 7. memorante, Eques Romanus, Agrippinæ impulſus gratiâ, fratris filiam, exemplo Claudii, ſibi in matrimonium junxit.

XXIX.



GRUTERUS, qui hoc marmor deſcripſit p. 304. n. 9. numerum dierum à propoſito diverſum poſuit, XXIIII. legens, ubi in

noſtro

noſtro XIIII. Idem figurarum alteram Fortunam ſtatuit, alteram Genium; Cùm tamen ex inſcriptione pateat, hanc *Somnum*, illam ex *Fatis* eſſe. De Fatis docebimur Capite ſequenti. Hic inſcriptio nobis curæ eſt. *M. Cavius Charinus* marmor poſuit: Poſuit *L. Cæcilio Feroci Filio*, & *Oreſtillæ Filiæ*. Q. Cæcilius Ferox fuit *Kalator Sacerdotii Titialium & Flavialium*, idemque *Studioſus Eloquentiæ*, *& vixit annis XV. menſe uno, diebus XIIII.* Studium Eloquentiæ cum annis convenit. De Kalatore res obſcurior eſt. *Calatores*, inquit FESTUS, *dicebantur Servi*, ἀπὸ τοῦ καλεῖν, *quod eſt* VOCARE: *quia ſemper vocari poſſent ob neceſſitatem Servitutis.* Ego ἀπὸ τοῦ καλεῖν *Calatores* dictos facilè admiſerim, cùm etiam veſtigium originis Græcæ in litera K. appareat; an autem paſſivè, quòd ſervi ſemper vocari poſſent, de eo valdè dubitaverim. *Calare* pro *Vocare* etiam Antiqui dixerunt, ſed *activè*, quod indè colligas, quod ubicunque paſſivè loquendum erat, paſſiva formâ uſi ſunt. Ita *Calata Comitia*, de quibus GELLIUS lib. 15. c. 27. *In libro Lælii Felicis ad Q. Mucium primo ſcriptum eſt, Labeonem ſcribere, CALATA COMITIA eſſe, quæ pro Collegio Pontificum habentur, aut Regis aut Flaminum inaugurandorum cauſa, eorum autem alia eſſe Curiata, alia Centuriata. Curiata per Lictorem Curiatum* CALARI, *id eſt* CONVOCARI. Hæc cùm ita ſint, Calatores in genere eos putamus, qui alios vocarent, id quod & Alii ſtatuunt, allegata Gloſſa, ubi *Calator* κλήτωρ. Aliter autem ſecundum eosdem, Calatores, Ἐκβιβασαὶ ἱερέων. ἐκβιβαςὴς pro *Viatore*, *Apparitore*, qui vocat in jus: & denuò Gloſſ. Calatores δοῦλοι δημόσιοι πρόπολοι, & Gloſſa Iſidori: *Calator Miniſter Sacrorum*, voce generis ad ſpeciem tranſlata. Quo ſenſu & in Inſcriptionibus, *Calator Fratrum Arvalium, Calator VIIVIR. Epulonum*, *Kalator Flaminum*, apud GRUTERUM: & in propoſita *Kalator Sacerdotii Titialium Flavialium.*

XXX.

L. COELIO BASS.
IVRIS. STVDIOSO.
AGATHO . . VS.
LIBERTVS. *in via Cassia*

STudiosum *Eloquentiæ* Superiore Inscriptione vidimus. GRUTERUS etiam *Astrologiæ Studiosum* memorat; sed *Studiosus Juris* hactenus in marmoribus, quod sciam, non comparuit. PIGHIUS eum exhibet in marmore proposito, quod *Agathonicus Libertus L. Cœlio Basso* erexit.

XXXI.

[illegible] in Campo Martio

L. ATIEDIVS. L. L. DORVS.
SCR. LIBR. AED. PL.
L. ATIEDIVS. HELIVS. FILIVS.

DE Librariis supra diximus, allegato simul & HORATIO apud quem *Scriba Librarius* legitur. Scribam Librarium, qui juxta fuerit Ædilis Plebis, propositum marmor exhibet. L. Atiedius *Lucii Libertus* Dorus utroque munere se jactat. Jactat honorem Patris etiam Filius L. Atiedius Helius, qui sive solus, sive cum Patre monumentum videtur erexisse.

XXXII.

Q. HERIO. Q. F. OCTAVIO. IVSTO.
PATRONO. MVNICIPI. I. L. AM DIVI. TRAIANI
AEDI. II. VIRO. II. VIRO. II. Q. Q. II. OB. MERITA. EIVS.
ATINATES. DEC. AVG. ARKANI. VIVIRO. PLEBS. VTRI
VSQVE. SEXVS. EX. REDITV. PECVNIAE. LEGATAE
SIBI
L. D. D. D.

DE literis lineæ secundæ I. L. AM. dubius sum, an separatim efferendæ, an conjunctim FLAMINI legendum sit. *Flamen Divi Aug.* Divi *Claudii*, Divi *Trajani*, *Hadriani*, aliorumq; Imperatorum apud GRUTERUM memorantur. Quid vox ARCANI denotet non assequor, nisi ARKARIO legendum sit. Atinates lapidem posuerunt: Atinates erant incolæ Atinæ, Civitatis antiquæ Volscorum: Atina, VIRGILIO lib. VII. *Potens* vocatur. MARTIALI lib. X. Ep. 92. *Prisca:* SILIUS in colle sitam hoc versu videtur innuere:

Nec monte nivoso
Descendens Atina aberat.

Incolas bello claros Vates Mantuanus testatur, cui duplici loco Atinas *acer* vocatur, ut lib. XII.

Soli pro portis Messapus & ACER ATINAS
Sustentant aciem.

Fuisse Municipium Romanum ex lapide, qui ibi repertus sit, constare, ait PHIL. CLUVERIUS, quòd in eo MUNICIPI vocabulum occurrat. An de nostro lapide loquatur, compertum non est. Id autem monendum, licet vocabulum *Municipi* in nostro occurrat,

 inde

inde tamen indubiè non evinci, Atinam fuisse Municipium Romanum; dupliciter enim vox ea explicari potest, vel Q. Herium Patronum fuisse Municipii, vel fuisse Municipem sive Romanorum sive Atinatium. Municipia quidem erant Urbes jure Civitatis Romanæ donatæ. Sed Municipes erant, non tantùm, qui in Municipio, ut est apud FESTUM, liberi nati sunt, sed etiam, qui Romam venientes munerum participes fiebant: Imò in genere, qui munera civilia capiebant, secundum PAULUM *in Lege* Munus De *Verborum & Rerum significatione*; aut ut ULPIANUS *lib. 1. ad Municipales*, sui cujuscunque Civitatis Cives. Secundum hæc quid obstat, quo minus in marmore nostro Q. Herium non tam Patronum Municipii, quam Patronum & Municipem dici arbitremur, & eo quidem sensu, quo Romæ munerum particeps eo vocabulo intelligitur. Patronos Civitatum, imò & Provinciarum Romæ fuisse, nemo nescit, & quidni & is poterit fuisse, qui fuit particeps munerum? Sed de his constare videtur. Reliqua per se patent. Inscriptio ita legenda. Q. HERIO, Quinti Filio, OCTAVIO JUSTO PATRONO MUNICIPI, FLAMINI DIVI TRAIANI, ÆDIli, Duum VIRO iterum, QuinQuennalitio iterum, OB MERITA EJUS ATINATES DECurioni, AUGuri, ARKARIo, SEVIRO PLEBS UTRIUSQVE SEXUS, EX REDITU PECUNIÆ LEGATÆ SIBI Locus Datus Decreto Decurionum.

XXXIII.

M. TILLIO M F
TERENTIANO RVFO C LEG
XX VAL VICT EX CCC.
COH IIII PR P V PRINCIPI.
CASTROR. EQ. P.
EXOR ET DONIS
DONATO. AB IMPP. SEVERO
ET. ANTONINO. AVGG.
HASTA PVRA. CORONA. AV
REA G. COH XII VRB ET. I VIC
EVOC AVGG. DIVOR. M ANTONINI
ET COMODI. PATRONO.
MVNICIPI. LIBERTI. L.D.D.D

QUanquam apud GRUTERUM pag. 1101. No. 5. hæc Inſcriptio habeatur, & quidem *ex Codice* PIGHIANO, ut ait, deſumpta, tamen proponendam arbitramur, ob aliqualem inter utramque differentiam. Loco G. quod linea ſecunda Legioni præponitur, apud GRUTERUM, eſt ſignum 7. idemque iteratur linea decima. Loco G. COH. IV. Linea quarta, eſt COH. III. & loco PR. ſimplex litera P. ex quibus utique patet, PIGHIUM a GRUTERO non ſatis diligenter inſpectum fuiſſe. Inſcriptionem ita legimus: *Marco* TILLIO *Marci Filio* TERENTIANO *RUFO Geminæ LEGionis Vigeſimæ VALentis VICTricis EX Centenario, COHortis Quartæ PRotectori, Præſtantisſimo Viro, PRINCIPI CASTRORum, EQuo Publico EXORNato ET DONIS DONATO AB IMPeratoribus SEVERO ET ANTONINO AUGuſtis HASTA PURA CORONA AUREA Geminæ COHortis Duodecimæ URBicæ ET InVICtæ EVOCato AUGuſtorum DIVORum Marci*

Marci ANTONINI ET COMMODI, PATRONO MUNICIPI LIBERTI. *Locus Datus Decreto Decurionum.* De vocabulo *Extercenario* per literas EX. C.C.C. expresso, forsitan dubitaveris. Sed est apud GRUTERUM pag. 387. No. 8. C. CESTIO C. STELLÆ &c. *EXTErcenario.* Tercenarius, REYNESIO teste, fuit, qui Trecentos homines ducebat, uti Ducenarius, *Vegetio* docente, qui Ducentos. Quanquam de Equitibus Ducenariis ex Suetonii Augusto, & Pertinace Capitoloni clarum sit, ita dictos à modo Stipendii. Quicquid sit, Extercenario dicitur, uti *Ex Evocato*, *Ex Præfecto*, *Ex Consule*, quod scilicet Tercenarii officio defunctus esset, qui eo nomine afficeretur. Legionem XX. Geminam seu Gemellam fuisse, constat ex eodem GRUTERO pag. 417. No. 5. Inscriptione sub iisdem *Severo* & *Antonino* erecta, ubi *Q. Hedius*, inter cætera *Tercenarius Leg. XX. G. P. ROV. &c.* dicitur.

XXXIV.

METHYSTVS
MAEC.
MINISTR.

MInistrator, & Ministrator Cæsaris, Item Imperatoris Domitiani, memorantur apud GRUTERUM; in proposito METHYSTUS, si rectè auguror, vel MÆCii vel MÆCilii MINISTRATOR dicitur. Ministratores vocari, qui potum Dominis suis ministrabant, docet CL. SPONIUS, ex PETRONIO & SENECA. Petronii Verba adscribimus: *Vinum Dominicum Ministratoris gratia est.* Sed non eos tantùm, qui potum ministrabant, hoc nomine venire, sed in genere, qui ministrabant, patet ex SUETONIO *in Vitellio* his verbis: *Alterum femur subdebile, impulsu olim Quadrigæ, quum auriganti Cajo MINISTRATOREM exhiberet.* Ita & CICERO 2. de Oratore: *Te Sulpiti objurgabam, quòd MINISTRATOREM peteres, non adversarium.*

XXXV.

XXXV.

EVMELVS
CAES.MINISTR.
ET PHARESIA
CATELLAE

DE Miniſtratore modo diximus. Propoſita Inſcriptio memorat eundem, non privati alicujus, ſed *Cæſaris*. *Eumelo* nomen eſt, quod quin Græciæ originem debeat, vix dubitari poterit, ſive *bonum cantorem*, ſive *membris valentem* interpreteris. Eumelus inter Trojanos memoratur VIRG. *Æn.5.*

Nuncius Anchiſæ ad tumulum, cuneosque Theatri,
Incenſas perfert naves EUMELUS.

Memoratur & PAUSANIÆ Eumelus Corinthius, Patriæ Hiſtoriæ author; Sed nihil ad propoſitum, cùm hic ſub Imperatoribus Romanis vixerit, monumentumque erexerit non ſolus, ſed cum PHARESIA & quidem CATELLÆ. De *Phareſia* non magis conſtat, quam de *Eumelo*. An *Catellæ* nomen fœminæ ſit, an verò diminutivum à *catulo*, incertum eſt. Illud generis noſtri nobilitas videtur ſuadere, ſed hoc perverſæ rationis ſuadet libido. Quæ infra ſe ſunt, homines perditè interdum amare, experientia teſte conſtat: Et quid ſi de Eumelo noſtro, & Phareſia, idem dixerimus, quod MARTIALIS lib. VII. Ep. 80. de Publio?

Publius exiguæ ſi flagrat amore CATELLÆ.

Quid ſi idem, quod CATULLUS de Lesbiæ ſuæ paſſere?

Lugete ò Veneres, Cupidinesque,
Et quantum eſt hominum venuſtiorum!
Paſſer mortuus eſt meæ puellæ,
Quem plus illa oculis ſuis amabat &c.

XXXVI.

ΚΑΛΛΙΤΕΚΝΟΝ
CΕΜΝΗΝ ΟΔΕ.
ΤΥΜΒΟC ΕΧΕΙCΕ
ΑΦΡΟΔΕΙΤΗ

APhroditen hujus Marmoris eandem esse, cujus apud GRUTERUM pag. 756. No. 6. mentio exstat, vix videtur dubium. Literarum formæ conveniunt, conveniunt & voces, & res. Eam adscribimus, ut judicium planius fit.

Θ. Κ.
ΤΥΜΒΟΝ ΜΗ ΠΑΡΙ
ΔΗC ΠΑΡΟΔΕΙΤΑ ΤΗC
ΑΦΡΟΔΕΙΤΗC ΤΟΥΤΟΝ
ΕΜΟΙ ΑΙΝΕΙΑΤΕ ΤΕΚΝΩ
ΕΠΟΙΗCΕΝ Ο ΧΡΗCΤΟC
ΣΥΜΒΙΟC ΕΡΜΑΓΟΡΑC
ΜΝΗΜΟCΥΝΗC ΕΝΕΚΕΝ
ΧΑΙΡΕΤΕ
ΖΗCΑCΗ ΕΤΗ. ΛΕ
ΖΗCΑΝΤΙ ΕΤΗ. Δ
ΗΜΕΡΑC ΙΒ.

Latine ità reddideris: *Tumulum ne negligas, ô Viator, Aphrodites. Hunc mihi, & Æneæ filio, fecit Optimus Contubernalis Hermagoras, memoriæ causa. Valete! postquam Vixissem* (scilicet Aphrodite) *annos XXXV. postquam vixisset* (filius) *annos 4. dies 12.*

Diximus convenire literarum formas: Id ex litera C. quæ utrinque usurpatur, facilè adstruxeris. Diximus convenire & voces: Utrinque enim ΤΥΜΒΟC & ΤΕΚΝΟΝ habetur, ut de nomine Aphrodites taceam. Quod ad res attinet: Utrinque Aphrodite, quam nomine præfert, *Venerem* æmulatur: illic filiam *pulchram* & *venerandam* appellando: hic filium *Æneam* nominando, ac si vera Venus fuisset, stirpemque ex liberis, Romanæ gloriæ æmulam, exspectâsset.

XXXVII.

XXXVII.

C. F. STEL. SEVERO.
VIRO. I. D. Q. Q. II. PRAEF.
RVM. BIS. EQVO PVBLICO.
CVI. CVM. OB. ABSTINENTIAM.
SINGVLAREM. EIVS. DECVRIONES
CONSENTIENTIBVS. AVGVSTALIBVS.
ET PLEBE. STATVAS. AERE. CONLATO.
OBTVLISSENT. REMISSA. CONLATIONIS.
INPENSA. IPSE. PONI. IVSSIT.
OB. QVARVM. DEDICATIONEM. HEREDES.
EX TESTAMENTO. EIVS. DECVRIONEBVS.
SING. ✕. IIII. AVGVSTALICIS. ✕. III. PLEBEI.
INTRA. MVRVM. HABITANTIBVS. ✕. II.
LIBERIS. OMNIVM. EORVM. DIMIDIVM. DEDERVNT
L. D D D

PRincipium hujus Inſcriptionis, quod injuria Temporis detraxit, forſitan ita ſuppleveris: *C. JULIO Caji Filio STELLÆ SEVERO VIVIRO Juris Dicundi QuinQuennalitio ſecundum, PRÆFECTO FABRUM BIS EQVO PUBLICO &c.* Ex Julia familia hunc Stellam fuiſſe, inde auguror, quod C. JULIUS SEVERUS apud GRUTERUM memoratur, quanquam & in aliis idem cognomen occurrat. Notandum, qui lineâ ſexta AUGUSTALES vocantur, quod vocabulum apud GRUTERUM frequentiſſimum eſt, eos lineâ duodecima vocari AUGUSTALICOS, quod tamen nomen in Autographo punctis ſubductum eſt.

XXXVIII.

L. MARIO. MAXIMO
PERPETVO. AVRELIANO
C. V. PRAEF. VRBIS.
PROCONSVLI. PROVINC.
ASIAE. ITERVM
PROCONSVLI. PROVINC.
AFRICAE.
M. IVLIVS. CERIALIS
MATERNVS. EX. CIVITATE
FORO. IVLIENSIVM.
PATRONO. OPTIMO.

SALMASIUS ad Lampridii verba: *Dati ſunt & Sodales, qui Alexandrini appellati ſunt &c.* Legit *Alexandriani*, additque, ita dici Sodales *Marcianos*, *Antoninianos*, *Aurelianianos &c.* GRUTERUS inter alios multos, etiam *Aurelianum* memorat, & in noſtro eſt *Aurelianus Perpetuus*. Erant Sodales Auguſtorum vel Auguſtarum, à quibus denominabantur, Sacerdotes, qui inter cæteros, poſt conſecrationem, honores, non minus decernebantur, ac *Flamines* & *Salii*. Lineam tertiam *Clariſſimo Viro PRÆFecto Urbis* legimus. M. Julii Cerialis, ſed Sp. F. meminit GRUTERUS pag. 878. No. 13.





Uartum Segmentum Toreumata quædam in medium producit. Sunt autem Toreumata, Tabulæ marmoreæ, Anaglyptico Opere exſculptæ: quam artem primum inveniſſe *Phidiam*, conſumâſſe *Polycletum*, PLINIUS author eſt lib. 34. cap. 8. Magnificæ ſunt, cum aliæ hujus generis reliquiæ, tunc utraque Columma Laudatisſimorum Imperatorum, Trajani & Antonini Pii, quas hodienum, magna contemplantium cum admiratione oſtentat priſca illa Gentium Dominatrix Roma. Magnifica, quæ in Arcubus Severi & Conſtantini viſuntur: Digna ubique materies, quæ non tantùm, aut Romæ degentibus, aut advenis affulgeat; Sed & radiis ſuis orbem terrarum pervadat. Jam dudum ita judicârunt, quicunque vel Eruditione, vel Arte excelluere, judiciique illius palmas meruere PETRUS SANCTES BARTOLUS & J. P. BELLORIUS, quorum ille artificioſo cœlo expreſſit, hic docto calamo illuſtravit, non Columnas tantùm, ſed & ea, quæ ſub elogio ADMIRANDORUM orbi Literato innotuerunt: Non minutis, ut in re Nummaria, linearum ductibus contemplantium oculos fatigantia, ſed figuris, ſi non ubique integris, attamen majusculis fulgida: Non minus ac Galeria Juſtinianea, quod opus non Toreumata tantùm, ſed & Imagines exhibet, ut raritate, ita & magnificentiâ celeberrimum. Sed hæc & alia, quæ paſſim proſtant, dignis laudibus evehere, neć virium mearum eſt, nec inſtituti ratio permittit. PIGHIUS ſeſe offert, qui ut ſuperioris, ita & hujus Capitis materiem ſuppeditat. Hujus Gloriæ obſtetrices manus porrigimus. Procedit.

P 3 JASON

I.
JASON
Tauros Æripedes
Æetæ Imperio
Sub jugum mittens.



JAsonis Expeditio Colchica Græcis Latinisque, & Poëtis & Mythographis, luculenter descripta est. Descripti sunt & Labores & Casus, quoscunque Jason, Medea vel auxiliante peregit, vel adversante subiit. Illius seriem ex ORPHEO, APOLLONIO RHODIO, VALERIO FLACCO, aliisque, Benevolus Lector facilè petierit. Posteriores proposito, & sequentibus aliquot Nobilioris Antiquitatis ex monumentis, delibare animus est. Jasonem cernimus, qualiter ut aureo Vellere, quod jussu Peliæ intenderat, potiretur, Tauros Æripedes, Æetæ Colchorum Regis ex Imperio, domuisse

muisse, jugoque adamantino revinxisse memoratur. *Tauros duos* eosque *ignivomos* faciunt Poëtæ. APOLLODORUS & *feros* & *miræ magnitudinis*, *Vulcanique munere Æete concessos*, ait. ipse Æetes apud APOLLONIUM 3. ℣. 409. *in Campo Areio* sive Martio *eos oberravisse*, memorat. Jasonem *ex horrendis latebris* eos excivisse, idem APOLLODORUS testatur. Latebras unicà arbore Artifex noster expressit, procul dubio, ut campum simul adumbraret: In Tauris magnitudo evidens est. Feritas in dextro, quem primum domuisse memoratur, jam deferbuit; in altero, quanquam languido nisu, adhuc reluctatur: Quæ causa & videri potest absentiæ flammarum, quas in neutro observamus. Sed hæc de Tauris. Ad Jasonem se confert Oratio. Hunc cernimus, qualem ORPHEUS ℣. 805. depinxit, & *formâ præstantem* & *procero Corpore*; Cernimus *nudum*, qualem APOLLONIUS, qui & *Pharmacis unctum*, indeque ineffabili robore commemorat auctum. Robur exerit utrumque Taurum domando, quem actum his versibus Poëta expressit.

Καὶ ῥ' ὅγε δεξιτεροῖο βοὸς κέρας ἄκρον ἐρύσσας
Εἷλκεν ἐπικρατέως παντὶ σθένει ὄφρα πελάσσῃ
Ζεύγλῃ χαλκείῃ. τὸν δ' ἐν χθονὶ κάββαλεν ὀκλὰξ
Ῥίμφα ποδὶ κρούσας πόδα χάλκεον. ὣς δὲ καὶ ἄλλον
Σφῆλε γνὺξ ἐπιόντα μιῇ βεβολημένον ὁρμῇ
Εὐρὺ δ' ἀποπροβαλὼν χαμάδις σάκος ἔνθα καὶ ἔνθα,
Τῇ καὶ τῇ βεβαὼς ἄμφω ἔχε πεπτηῶτας
Γουνάσιν ἐν προτέροισι διὰ φλογὸς εἶθαρ ἐλυσθείς
Θαύμασε δ' Αἰήτης σθένος ἀνέρος &c.

Ac ille dextri bovis cornu summum apprehendens,
Depreßit fortiter, cunctis viribus, donec admoveret
Jugo æreo, eumque in terram stravit geniculatim,
Celeriter pede premens pedem æreum. Ubi verò alterum
Labefactavit geniculatim invadentem, uno percussum ictu,
Vastum abjiciens humi scutum, huc atque illuc,
Hac & illa parte, ambos continuit, collapsos
In genua anteriora, per flammam ex tunc liberatus.
Admiratus autem Æetes robur Viri.

Ex his non tantùm Jasonem, utrumq; Taurum cornibus apprehensum domuisse, sed & *abjectis armis* eos domuisse discimus. *Scutum*

ait

ait Poëta, *humi abjecit*: Imò, canente eodem, jam ante etiam ſepoſuerat & *haſtam* & *caßidem*:

Χρίμψε δ' ἔπειτα κιών. παρὰ δ' ὄβριμον ἔγχος ἔπηξεν
Ὀρθὸν ἐπ' οὐριάχῳ, κυνέην δ' ἀποκάτθετ' ἐρείσας.

Appropinquavit autem deinde eundo, juxtaq; gravem haſtam *infixit*,
Erectam infima parte haſtæ, ac Galeam *depoſuit tollens.*

Adeò, ut mirum non ſit, in lapide noſtro non nudum tantùm videri, ſed & armis carentem. Non mirum, videri Æeten, fortitudinem Jaſonis ſtupeſcentem; cùm nudus is, & ſine armis effectui tradat, quæ vel armato gloriæ data fuiſſent.

JASON

Sopito à Medea Dracone Vigili
Vellus Aureum aufferens.

DOmuerat Jaſon Æripedes Tauros. Aratro adamantino Novale Martium proſciderat, ſatisque ex Galea Draconis dentibus, enatam

enatam inde clypeatam ſegetem virorum confecerat. Promiſſis tamen Æetes non ſtetit, imò quod filiæ veneficiis rem patratam arbitraretur, inſidiis potius & Jaſonem & Argonautas removere ſtatuit. Medea, conſilio ſubolfacto, amore & metu percita, Jaſonem ad auferendum vellus aureum ea adhuc nocte incitat, pollicita Draconem Pharmacis ſopituram, facilemque velleris potiundi, artibus ſuis ſe patefacturam tramitem. Pollicita eſt, & ſi fabulam audis, promiſſa etiam præſtitit.

Propoſitum lapidem intuere! Vellus inter duas Arbores expanſum vides: Vides ſerpentem, profundo ſopore languidum: Vides odores ſoporiferos, ex ſubjecto Vaſe, verſus ſerpentem exſurgentes: Vides Medeam aſſiſtentem, ipſumque Jaſonem vellus aufferentem. Jaſon Caput galea tectus eſt, ſiniſtra clypeum gerit, à latere dependet gladius. Hæc ejus arma fuiſſe ex ſuperioribus patet. Unicum eſt, quod mihi incongruum videtur. *Barbatus* hic viſitur, qui tamen in ſequentibus *imberbis* eſt, qualem & ætas ferebat, unde OVIDIO *Æſonius juvenis* audit. *Formoſus* dicitur paſſim, & ob formam Medeæ fertur adamatus: imò & APOLLONIUS, cum arma eum induiſſe memoraſſet ſubjicit.

ἀλλὰ μὲν Ἄρει
Εἴκελος, ἀλλὰ δέπυ χρυσάορι Ἀπόλλωνι.

Alia vero Marti
Similis, alia vero aureo Apollini.

Adeo ut dubitem, annon barba hic delineantis vitium ſit! De Dracone à Medea ſopito, direptoque aureo vellere, ejuſdem Poëtæ teſtimonium adjicimus, ſed cum longius ſit, Calamo Romano, ne nimia Græcorum farrago Lectori faſtidium pariat: Ita ille Lib. 4.

Q *Ille*

Ille jam
Incantamentis ſopitus, prælongam extendebatur in ſpinam
Serpentina ſpira explicatus innumeris orbibus.
Veluti, quando debili volutata mari
Unda, nigra, muta, tranquillaque fit. Attamen
Alte horrendum caput tentavit attolens,
Ambos ſævis amplecti mandibulis
Hæc autem ipſum Juniperi recens ſecto ramo
Intingens, ex potione efficacia Pharmaca Carminibus
Rorabat in Oculos, circumque plurimus odor
Pharmaci ſomnum creavit, mandibulumque ipſo in loco
Demiſit innixus, immenſaque multum retro
Volumina denſam per ſylvam extenſa ſunt.
Tunc demum ille aureum à quercu diripuit vellus
Virgine jubente, hac vero continuè ſtans
Pharmaco demulſit monſtri caput, donec eam
Ipſe ſuam ad navim reverti Jaſon
Juſſit, reliquitque umbroſum Martis nemus.

JASON
Relictâ Medeâ
Ob Nuptias cum Creontis Filia contractas Sacrificans.



UT Jasonem hìc statuas, cogit omnium, & quas supra dedimus, & quæ proximè adhuc sequentur, figurarum cohærentia. Eas hìc, operis modulo consulentes, disjunximus, sed in PIGHII Manuscripto conjuncta esse, Lectori omninò est dicendum. Sacrificantem cernimus. Sacrificium patet ex *ara* & *puero ministrante, pateraque*, ex qua dona sua ignibus sacris Jason infundit. Quænam dona hæc sint, meritò quæsiveris, cùm Iliacis temporibus Thure nondum supplicari suevisse, ex PLINIO constet, & ARNOBIUS lib. 7. adversus Gentes λιβανοθυσίαν, ut rem novam, perstringat. Sed ex eodem PLINIO responderi potest,

cùm Unguenta Iliacis temporibus non fuisse, nec Thure supplicatum dixisset, *Cedri tantùm*, inquit, *& Citri, suorum fructuum, in sacris fumo convolutum, nidorem verius, quam odorem noverant, jam Rosæ succo reperto.* Quibus ex verbis forsitan & fructus & frutices, quos puer ab altero latere ministrat, Cedri & Citri, imò & Rosarum esse, eorumque loco posterioribus temporibus Camillum acerram Thuris præferre solitum, facilè tibi persuadeas. Non sufficit sacrificium agnoscere, nisi & scias, quale illud sit? Varias ob causas Veteribus sacrificatum, latiùs deduci posset; sed cùm ratio instituti prolixitatem excludat, paucis dicimus, Sacrificium *Nuptiale* videri: Id non tantùm ex adstantibus fœminis colligentes, sed etiam ex membro proximè sequente, in quo Nova Nupta sedens, munus Medeæ ab offerentibus puerulis recipit. Nuptiale Sacrificium est, non ob nuptias cum Medea; Has enim sine ullo sacrorum strepitu in Phæacia peregerat, cum insequentibus Colchis, Alcinoum Virginem reddendam judicaturum comperisset; Sed ob nuptias cum Glauce, sive Creusa, filia Creontis, Corinthiorum Regis, quam, relictâ Medeâ, sive vi coactus, sive felicitatis futuræ desiderio, duxisse legitur. Plena de ea sunt Tragicorum Theatra, in monumento nostro, tres pueros cernimus & tres fœminas. Tres Pueros, an Jasonis ex Medea filios? tot enim, imò secundum alios *quatuor* fuisse, ad ultimum demonstratum dabitur. Tres Fœminas, an Reginam sponsæ matrem, Sponsam ipsam, tandemque Nutricem? Sponsam velum denotare poterit, sive peplum, quo nuptæ se se obnubere solebant, Regiam Matrem demonstrare poterunt & stolam levantes pueruli, & gladii insigne, quod in his & Jason habet, & supra etiam Æetes prætulit: Qua ratione ad Medeæ opera ideò respicientem Matrem arbitraberis, ut vigilem exprimat, pro filiæ felicitate & salute, sollicitudinem. Forsitan hanc non Regiam Matrem, sed ipsam Medeam arbitraberis, quæ eodem cum marito suo insigni utatur, suorumque filiorum ministerio superbiat, imò &, ad opera sua respiciens, ingrato beneficia sua quasi exprobare videatur. Liberrimus est divinandi campus!

JASO-

JASONIS FILII
Medeæ Matris
Munera
Novæ Jaſonis Conjugi
offerentes.



TAbulam, ab hac & duabus ſequentibus in pauciſſimis abeuntem, non de Jaſone & Medea, ſed de Proſerpina & Cerere interpretatur Celeberrimus PETRUS BELLORIUS *in Notis ad Admiranda Romanarum Antiquitatum.* Favet ei & *Pomum* prædivitis Arboris, & *Parca* blanditiis dolores levans, & *Mercurius* ſomnifer cum papaveribus adſtans: favet *Ceres* ob filiæ raptum bacchans, & *Arethuſa* raptorem prodens, & *Urna* ad Arethuſæ pedes, imò & ipſa, quæ

Orbe pererrato, curru Dea fertilis auras
Exit in æthereas, magnumque adit ægra tonantem.

 An

An aliud marmor ſecutus fuerit BELLORIUS, forſitan dubitaveris; Licet enim in noſtro, quem ille *Mercurium* interpretatur, nullo omninò pileo inſignis ſit: Licet Nova Nupta nullum pomum teneat: licet inter mulierem Bacchantem & Draconibus vectam, non unam, quam ille *Arethuſam* interpretatur, ſed duas fœminas videamus: Licet etiam ſub illa fœmina non urna, ſed columnæ fragmentum ſit, reliqua tamen utrinque ſimillima ſunt. Et quid in raptu Proſerpinæ *Senex* ille *diadematus*, qui anxia juxta aures dextra, furentem fœminam ſequitur & plangit? Anceps judicium eſt. BELLORII inter ipſos Romanarum Antiquitatum Theſauros verſantis, Sculptorisque, procul dubiò in his deliciis oculatiſſimi, fides, rem ad Proſerpinam trahit. Fides PIGHII, & ipſius rerum harum intelligentiſſimi, cujus hîc Autographum ſequimur, trahit ad Medeam. Sed BELLORII gloriam intactam ſuſpicimus, & PIGHII fidem obſequiosè colimus: Diverſa marmora ſtatuentes, id quod utriusque ſitus in aprico ponit. BELLORIUS ſuum ſcribit exſtare *in Hortis Mediceis*, PIGHIUS ſuum in *Foro Romano, Coſmi & Damiani ante Templum.* Sic PIGHII Veſtigia nos legere meminimus, ubi Jaſonis fata nos vocant.

Ex Euripide conſtat, Medeam, cùm non minùs filiis ejus, ac ipſi exilium indixiſſet Creon, obtentâ unius diei morâ, ſub ſpecie parandæ filiis ſuis manendi veniæ, per hos ipſos infecta veneficiis ſuis, Novæ Nuptæ miſiſſe munera, Peplum & Coronam. Conſtat ipſum Jaſonem Conjugi novæ, ut ea acciperet, perſuaſiſſe. In propoſito ſegmento res ad oculum patet. Sedet Nova Nupta, & quidem, ut eam noſcas, capite velato. Sedenti adſtat, non ut in BELLORII marmore, Parca, ſed Jaſon, cujus faciem injuria temporis ſubtraxit. Adſtat & Novæ Nuptæ, ut munera accipiat, perſuadet, id quod ex manûs utriusque geſtu facilè colligas. Perſuaſa Nova Nupta, dextram extendit verſus pueros munera ferentes. Munera mirantur vel famuli vel propinqui, qui attentius ea inſpiciunt, imò & manu ſublata contemplantur. Sed ne absque baſi rem dicidi arbitreris, ſubjicimus & Euripidis verba, quo Authore, ex interpretatione CANTERI, Medeam ita compellat Nuncius:

Poſtquam

Postquam gemina soboles tuorum Liberorum venit
Cum Patre, & ingressa est nuptiales ædes,
Gavisi sumus, qui tuis laborabamus malis
Famuli: per aures vero statim ibat multas sermo,
Te & Tuum Maritum diremisse priorem discordiam.
Osculabatur autem alius quidem manum, alius vero flavum caput
Puerorum: Ego vero & ipse præ lætitia
Simul tuos filios comitabar in conclave mulierum,
Domina vero, quam nunc pro te admiramur,
Priusquam vidisset par tuorum Liberorum,
Habebat promtum oculum in Jasonem:
Deinde vero texit oculos,
Et retro avertit candidas genas,
Abominans ingressum puerorum: sed maritus Tuus
Abstulit iram & bilem puellæ,
Hæc dicens: Ne sis inimica amicis.
Desiste ab ira, & huc iterum converte caput,
Existimans amicos eosdem, quos maritus tuus.
Accipe verò Munera, & roga patrem,
Ut remittat exilium his meis literis in meam gratiam.
Hæc verò ut aspexit ornatum, non continuit se,
Sed promisit viro omnia. Et priusquam ex ædibus
Procul abirent Pater & Liberi tui
Acceptam variam vestem induit,
Ponens auream coronam supra cincinnos.

Medeæ Vindicta.



TRes in ſegmento perſonæ ſunt, Vir nudus cum clypeo, quem *Jaſonem* interpretamur. Senex diadematus, qui *Creontem* refert, Corinthiorum Regem: & fœmina furens, quæ *Glaucen* ſive *Creuſam*, Creontis filiam. Ut ad vindictam Medeæ hæc referenda videantur, non tantum connexio hiſtoriæ evincit, non tantum ſenex Diadematus, cui in fabula Cereris locus non eſt, ſed & rudera Palatii, à Medea everſi, quæ in hoc ſegmento ſunt, & iis affĳcta Jaſonis, Tauros Æripedes domantis, quæ adhuc cernimus, veſtigia. Miſerandum novæ nuptæ, Patriſque interitum deſcribit EURIPIDES. Ad Jaſonem cum clypeo adſtantem ritè retuleris teſtimonium SENECÆ, qui Jaſonem, audito novæ nuptæ caſu armigeros in ultionem convocaſſe ſcribit. Utriusque verba ſubjicimus. Ita nuncius apud Euripidem:

χροιὰν

Χροιὰν ἀλλάξασα, λεχρία πάλιν
Χωρεῖ τρέμουσα κῶλα, καὶ μόλις φθάνει
Θρόνοισιν ἐμπεσοῦσα μὴ χαμαὶ πεσεῖν
Et paulo post: Σείουσα χαίτην κρᾶτα τ᾽ ἄλλοτ᾽ ἄλλοσε,
Et iterum: Πατὴρ δ᾽ ὁ τλήμων συμφορᾶς ἀγνωσίᾳ,
Ἄφνω προσελθὼν δῶμα, προσπιτνεῖ νεκρῷ
Ὤιμωξε δ᾽ εὐθύς. &c.

Mutato colore, obliqua retro
Cedit, tremens membris, & vix antevertit
Solio illapsa, ne caderet in terram.
Et paulo post: *Concutiens crines & caput huc & illuc,*
Et iterum: *Sed infelix Pater ignoratione mali*
Statim ingressus domum, irruit in eam jam mortuam,
Et statim cœpit ejulare. &c.

Quibus verbis, licet Poëta in quibusdam à marmore nostro abeat, miserandum tamen, & furentis Filiæ, & dolentis Patris, opportune describit spectaculum. Jasoni assistit SENECA, apud quem ipse:

Quicunque Regum cladibus fidus doles,
Concurre, ut ipsam sceleris Authorem horridi
Capiamus. Huc! huc! fortis armigeri cohors
Conferte tela!

MEDEÆ FUGA.



MEdeam bigis Draconum, à Sole acceptis, Athenas profugisse, constans Authorum commentum est. Audi ipsam apud SENECAM.

Sic fugere soleo. Patuit in Cœlum via.
Squammosa gemini colla Serpentes jugo
Summissa præbent.

Et APOLLODORO teste, *fine libri I.* sumtum à Sole alatorum Draconum currum conscendit Medea, in eoque profugit Athenas.

De *Liberis*, & adstantibus in marmore *Fœminis*, illinc dubia, hinc incerta quæstio oritur. De his, an *Nutrix Medeæ* & *Chorus* quas ipsa, tanquam fœminas sibi faventes, apud Poëtas frequenter, ad discessum usque alloquitur: De illis, an duo tantùm fuerint, an plures? An à Medea occisi, an inter vivos relicti? Quod ad Liberos

attinet

attinet, jam antiquitùs res dubia fuit: Quidam duos tantùm referunt, *Mermerum* & *Pheretem*. HELLANICUS etiam *Philoxenum* addit. CINÆTHON LACÆDEMONIUS *Medum* & *Eriopin* filiam nominat, uti ex PAUSANIA constat. Alii *Dydymiam*, *Alcymenum Thersandrum* & *Thessalum* in medium adducunt. Marmor nostrum quatuor agnoscit, quorum primus juxta currum jacet, secundum Medea pede arreptum, sinistroque humero injectum secum avehit, duos reliquos autem vivos adhuc relinquere videtur, ad mentem eorum, qui relictos quidem à Medea, sed postea à Corinthiis, lapidibus obrutos memorant, uti apud eundem PAUSANIAM videre est. APOLLODORUS relictos supplices, ait, ante Acreæ Junonis templum, sed hic inter rudera Regii Palatii cernuntur; illud enim, cui infantes assistunt, columnæ fragmentum est, non urna, qualis in BELLORII marmore.

II.
PELEI ET THETIDIS NUPTIÆ.



PElei & Thetidis hic adumbrari Nuptias, non tantùm ex Deorum præsentia intelligitur, sed vel potissimum ex cohærentia cum Tabula sequente, in qua *Judicium Paridis* exhibetur,

tanquam actus, nuptias has immediatè subsecutus. Peleus Æaci ex Ægina filius, prioribus nuptiis Antigonem Eurytionis filiam, posterioribus autem Thetin memoratur habuisse. Amaverat Thetin Jupiter, sed quod majorem Patre ex ea nasciturum ex Themide didicisset, non tantùm ejus complexibus abstinuit, sed & voluit, ut mortalis ea Viri conjugio cederet. Si fabulæ fides, Thetis in varias se formas vertere solebat. Consilio igitur Chironis eam comprehendendi ac detinendi rationem edoctus Peleus, quiescentem corripuit, nihilque factis, nunc ignis, nunc aquæ, nunc ferarum, quos assumebat, vultibus, non prius bracchium dimisit, quam pristinam Deæ formam restitutam animadverteret. Ira nuptiæ in Pelio monte celebrabantur, easque præsentiâ suâ honorârunt & Dii. Discordia, quod invitata non fuisset, contemtum ultura, malum aureum cum lemmate, *Detur pulcherrimæ!* Cœlesti Consessui projecit, eoque lecto, inter Junonem, Minervam & Venerem de forma contentio orta est, quàm Paris deinceps, ut in sequenti dicetur, judicio suo legitur diremisse. Hæc est brevis totius fabulæ narratio, qualiter ferè à Mythographis traditur. Ad ejus seriem marmor propositum exigamus! Locus ad amussim respondet. Montem esse nemo non videt. Montem Pelium esse, patet non tantùm ex fabulæ contextu, sed etiam ex medio *antro*, quod *Chironis* erat. Ita ORPHEUS in Argonauticis ℣. 375. ubi Peleus ad Heroës de Pelio monte.

Ὦ Φίλοι, ἀθρεῖτε σκοπιῆς πραύχοντα κολωνὸν
Μέσσῳ ἐνὶ πρηῶνι κατάσκιον ἐνθάδε χείρων
Ναίει ἐνὶ σπήλυγγι δικαιότατος κενταύρων.

Cernitis excelso collem sub vertice, Amici,
In medio umbrosum spatio. Justissimus illic
Centaurorum habitat, spelunca in margine Chiron.

Quibus ex verbis simul palam est, eum, qui ex antro hoc, capite & brachiis emicat, ipsum Chironem esse. Antra Chironis amœna, non minus ac ipsos Deos, nuptialem lætitiam permulsisse, QUINTUS SMYRNÆUS author est, in eo à marmore nostro diversus, quòd & Nymphas, & Gratias, & Musas Lætitiæ ministras

fecerit,

fecerit, quæ tamen hic non apparent. Dii ex insignibus noscuntur. Jovem Fulmen demonstrat, Mercurium Galerus, Dianam Luna falcata, Palladem Cassis, Venerem Protervitas, Martem Clypeus, Solem Quadrigæ. Reliquos injuria temporis incertos fecit, vix tamen dubium est, quin mulier ad dextram sedens Thetis ipsa sit, & adjacens vir ipse Peleus, prout & Junonem vel juxta Jovem, vel quod verius arbitror, inter Palladem & Venerem quæsieris, jam tùm de Formæ palma certantem. Dianam & Phœbum nuptiis his non interfuisse, scribit CATULLUS Carm. 65. Sed Juno apud *Quintum Smyrnæum* lib. 3. ℣. 96. necem Achillis Phœbo exprobrans, cum in nuptiis cecinisse dicit:

Phœbe, quare scelus istud hoc die patrasti?
Connubii illius oblitus, quod ipsi nos Dii
Semideo Peleo conciliavimus, unaque in medio
Epulantium cantabas, quo pacto argenteis pedibus Thetin
Peleus Uxorem duceret, cum vastum maris gurgitem deseruisset,
Et Te Citharam feriente, densa agmina occurrebant,
Bestiæ volucresque, & profundis scopulis montes,
Nec non & fluvii, & omnis opaca veniebat sylva.

Sed quod hic Phœbo tribuit Juno, id apud Authorem eundem, Nestor tribuit Musis, in eo utrinque concordante testimonio, quòd bestiæ cantu delectatæ dicantur, apposité ad bovem nostro in marmore, ad latus Thetidis, quiescentem; Quanquam, ne quid dissimulem, nec Phœbus Nuptiis his videatur vel adesse, vel abesse: Quadrigis vehitur, id quod in Cœlo solet, quadrigæ tamen non sunt omissæ, ut intelligas, Nuptiis cum savisse. STAPHYLUS *de Rebus Thessaliæ* scribit, Chironem sapientiâ, & rerum cœlestium peritiâ insignem, Peleo gloriam conciliaturum, cum filiam Actoris Myrmidonis ei collocaret, divulgasse, Peleum Thetidem, Jove Nuptias conciliante, ducturum, Deosque cum imbre & tempestate affuturos: Observasse verò tempus, quo ingentes pluviæ, ventorumque turbines existerent, eoque Philomelam elocando, famam de Thetide Peleo collocata, Deorumque præsentia, firmasse. Hæc si ità sint, jam constat, cur Phœbum Nuptiis his absuisse CATULLUS cecinerit.

 Alia

Alia ſubit difficultas. Duos Equites cernimus. An hos Dioſcuros putabimus? an Equos eos, quos Neptunum Peleo donaſſe apud APOLLODORUM legimus, *Balium* ſcilicet & *Xanthum?* Sed opinio de Dioſcuris prævalet, cùm dimidiatus adhuc in altero pileus appareat. De Equis eſt locus Pindari Pyth. 1. Ubi Tyndaridas λευκοπώλυς *albis Equis inſidentes* nominat, qualiter & innumeris in Romanorum Numiſmatibus hodienum viſuntur.

Ad Diſcordiam tranſimus, quæ propoſito in ſegmento alata, & cum Palma viſitur, qualiter aliàs Victoria ſolet, cùm tamen Authoribus Furiæ inſtar depingi ſoleat. PETRONIUS:

Sciſſo Diſcordia crine
Extulit ad Superos ſtygium caput. Hujus in ore
Concretus ſanguis, contuſaque lumina flebant:
Stabant ærati ſcabra rubigine dentes:
Tabo lingua fluens, obſeſſa Draconibus ora,
Atque intertorto laceratam pectore veſtem
Sanguinem tremulâ quatiebat lampada dextrâ.

Dextram & caput Eridi propoſitæ injuria temporis abſtulit, ideoque de iis judicare nobis integrum non eſt. Veſtis licet in pectore lacerata non ſit, eſt tamen ad femur ſciſſa, ſecundum MARONEM in Octavo Æneid.

Et ſciſsâ gaudens vadit Diſcordia pallâ.

QVINTUS SMYRNÆUS Lib. 10. ỳ. 60. ei arma tribuit ex adamante, tabo fœdata, ſed nulli, ait, apparere, quòd cruentam nubem humeris circumdatam ferat. Sed hæc deſcriptio marmori noſtro non quadrat. HOMERUS Lib. XI. ỳ. 11. Deam appellat, qualiter & à Mythographis dicitur. Ad alas ſuccurrit HESIODUS, qui *in Scuto Herculis* Eridem ſive Diſcordiam *volâſſe* canit.

Ἐπὶ δὲ πλοπορέοιο μετώπυ
Δεινὴ ἔρις πεπότητο.

JUDI-

JUDICIUM PARIDIS.



AD Paridem, Regis Priami filium, in Gargaro, Idæ montis vertice, pecora paſcentem, Judicium de pulchritudinis prærogativa, à Jove relatum, Mercuriumque juſſum, & Pomum perferre, & Deas deducere, ex Authoribus conſtat. In propoſito marmore, Paris habitu Phrygio ſedet, eique adſtant non Deæ tantùm & Mercurius, ſed & Cupido, imò & ſequitur à Dearum tergo Diſcordia. Mercurii ſermonem exprimit Lucianus: *Jupiter jubet Te, PARI, ſiquidem formoſus es, & rerum amatoriarum doctus, ſententiam ferre inter Deas, quænam illarum ſit formoſiſſima. Certaminis autem præmium, ea quæ vicerit, pomum accipiat!* Apud eundem & Paris reſpondet: *Utra Capella ſit alterâ formoſior, & Juvenca aliâ Juvencâ, forſitan ex arte judicare poſſum.* Quibus ex verbis, pecorum, montis in vertice, & circa antrum quieſcentium, ratio plana eſt. Circa antrum, in quo Deæ nudæ viſuntur; Neque enim Paridi ſatis erat veſtitas vidiſſe: γυμνὰς ἰδεῖν βούλομαι, inquit; *Nudas videre volo*, id quod & jubente Mercurio factum memoratur. Sed nihil in his incognitum, neque enim vel de Paridis Juventute & Formoſitate, neque de Dearum Cultu quæſiêris, cùm illius prædictus AUTHOR luculentus teſtis ſit, hujus autem ratio,

MYTHO-

MYTHOLOGIS jam dudum reddita prostet. De promissis Dearum, Venerisque victoria, ipsius Paridis verba subjicimus: ita ille apud OVIDIUM in Epistolis.

Regna Jovis Conjux, virtutem Filia jactat.
Ipse potens dubito, fortis an esse velim?
Dulce Venus risit, nec te, PARI, munera tangant,
Utraque suspensi plena timoris, ait.
Nos dabimus quod ames, & pulchra Filia LEDÆ
Ibit in amplexus pulchrior ipsa tuos.
Dixit, & ex æquo donis formaque probata,
Victorem Cœlo rettulit illa pedem.

III.

INCUNABULA PYTHAGORÆ.



ELegantissimum hoc, cum Tabula sequente, Venerandæ Antiquitatis monumentum, INCUNABULA PYTHAGORÆ, ipse PIGHIUS inscripsit. Eum titulum, Celeberrimi Viri effato parcentes, mutandum non censuimus, quanquam appariturum sit, non tam Incunabula, quàm Infantiam & Pueritiam, imò & vitæ Virilis non contemnendum eò exhiberi documentum. Infantiam cernimus in segmento priore, quod hìc pro

proponimus. Sex in eo ſunt mulieres; dimidiam enim, quæ perſonam ſcenicam à tergo extendit, ad inferius referimus. Prima fœmina ſedet, eique ſecunda velata infantem adducit, vaſi cuidam pedes immerſum. Infans vaſi pedibus immerſus perſuadet, Natalitiam quandam ſolennitatem hic præfigurari: neque enim ad Expoſitionem reſpexeris, licet eam in fictilibus fieri ſolitam, ex ARISTOPHANE pateat. Potius Vaſculum hoc ad Lavacrum referas, quod infantibus adhiberi ſolitum, ex PLAUTO conſtat, cui addi poteſt & Cel. RAPH. FABRETTUS in notis ad Tabellam Iliadis, ubi ſimilem puerum cum vaſe exhibet: & Doct. CASP. BARTHOLINUS *de puerp. Vet.* Forſitan etiam reſpicias ad Luſtrationem, quæ apud Græcos vel die *decima* fiebat, unde & Δεκάτη vocabantur ſacrificia tunc fieri ſolita, vel die *ſeptima*. De decima teſtatur *SUIDAS*, aliique: De ſeptima ARISTOTELES. HARPOCRATION utramque conjungit. *Τοῖς ἀποτεχθεῖσι παιδίοις*, inquit, *τὰς ἑβδομάδας καὶ τὰς δεκάδας ἦγον, καὶ τάγε ὀνόματα ἐτίθεντο αὐτοῖς οἱ μὲν ἑβδόμῃ, ὡς καὶ ὁ ῥήτωρ, οἱ δὲ τῇ δεκάτῃ.* Quibus ex verbis ſimul intelligimus eo die nomen infanti impoſitum, id quod non minus & Romanis in uſu erat, quanquam hi non diem *ſeptimum*, aut *decimum*, ut Græci, obſervabant; ſed, ſi puella foret, *octavum*, ſi puer, *nonum*, uti ex *FESTO* planum eſt, & firmatur Authoritate PLUTARCHI in Quæſt. Rom. & MACROBII 1. Sat. c. 16.

Sed Romanos pauliſper ſeponimus, ad ritus Græcorum rem exigendam, memores. Apud hos non confundenda *Amphidromia*, quæ die quinto fiebant, curſim ferendo partum circa aram, id quod pluribus adſtruit MEURSIUS *de feſtis Græcorum*. Prævia hæc erant Luſtrationi, quam in monumento noſtro ſi admittas, conſequens eſt, ut ſub muliere infantem tenente *Patritam* intelligas, cujus PLAUTUS meminit, *in Milite*:

Tum PATRITAM clementer non poteſt quin munerem.

Ubi alii *Piatricem* legendum contendunt: Conſequens eſt, ut eam, quæ machinæ inſidet, Matrem ipſam ſtatuas, lecto niſi fallor, inſidentem. Sed fortius pro Die Luſtrico ſurgit argumentum ex tribus fœminis adſtantibus, quarum una ſtylum & volumen, altera volumen, tertia ſceptrum, & à tergo rotam habet. Sceptrum

una

una ex Fatis præfert in Numismate *Maximiani Herculei*, quod in Eruditisſimis ad Juliani Cæſares notis PERILL. SPANHEMIUS exhibet: Imò præter ſceptrum eodem modo Fata etiam Altheæ adſtantia delineat noſter PIGHIUS alibi, quod ideò etiam tangi meretur, quia inter *Admiranda* aliter, & quidem loco ſceptri, voluminum & ſtyli, ſtipites tenent, eos in ignem, ut videntur, conjecturæ, quod celeberrimo BELLORIO cauſa dubitandi fuit, Fata agnoſceret, an Furias? Sed habitus & inſignia omnem dubitationem tollunt. Furiarum alius planè inter Antiquitatis reliquias proſtat. Numismata apud Eundem PERILL. SPANHEMIUM in laudato Opere, facibus, ſerpentibus & ſtimulis armatas exhibent, qualiter & veteribus deſcribuntur, uti ex CICERONE lib. de Legibus, & VIRGILIO patet. Multò aliter Fata; Hæc enim ut imperium in res humanas oſtendant, ſceptrum præferunt: Ut decreta ſua certa ſignificent, volumina geſtant: Ut vigentem innuant divini conſilii in humanis efficaciam, adjacentem habent rotam. Imperium exerunt in homines, non tantùm mortis tempore, prout in Meleagro videmus; ſed etiam tempore nativitatis, prout in Pythagora. Id die luſtrico potisſimum fieri, vel ideò credendum, quod tunc omina captare mos erat, vel ex nomine, vel ex Horoscopo, aliisve, quæ ad eum diem contigerant; Ea enim omnia vocabant *Fata*, & in Tabulis deſcribebant, id quod ex CHRYSOSTOMO liquet in Epiſt. ad Galatas. Imò & Fatis Deabus arbitrabantur notari, quo pertinent illa AUSONII de Æmilio Magno Arborio

Me Tibi, me Patribus clarum decus eſſe, profeſſus
Dictaſti FATIS verba notanda meis.

Quæ appoſitè quadrant ad Fata hoc in monumento expreſſa, quibus, ut diximus, non Rota tantum & ſceptrum datum eſt, ad indicandum imperium in totum vitæ humanæ decurſum, ſed etiam Tabulæ, & Volumina, & ſtylus, quæ ſolita apud Antiquos Scribentium fuerunt inſtrumenta. Sed hæc de primo ſegmento ſufficiant! Ad ſecundum tranſimus.

In



In hoc plura veniunt accuratiore contemplatione digniſſima. Puerum videmus, cum volumine, Magiſtro adſtantem: videmus Mercurium, & duas Muſas, puerum comitantes: videmus Juvenem bigis cum Aquila vectum, cujus equos fœmina humi ſuſpicit, ſervus frenis apprehenſos dirigit.

Omnia hæc indubitata ſunt argumenta, non aliùs hìc hiſtoriam adumbrari, quàm Pythagoræ. Νέος ϗ φιλομαθής, *juvenis & diſcendi ſtudioſus* vocatur DIOGENI LAERTIO, quo teſte & Magiſter ejus fuit Pherecydes Syrus, id quod etiam ex ÆLIANO diſcas, *Var. Hiſt. lib. 5. c. 2.* Indeque dubium non eſt, quin Pherecydis hìc ſimulacrum exhibeatur, quo doctore in Lesbo Pythagoras rudimenta poſuit. Equidem præter hunc etiam Hermodamantem habuit, eodem DIOGENE teſte; imò & in Ægypto Sapientes, docente LUCIANO *in Auctione Vitarum*, inter quos Sonchidem memorat CLEMENS ALEXANDRINUS; Sed omnes hos poſt Pherecydis mortem, cùm vel ex Lesbo in Samum regreſſus fuiſſet, vel inde in Ægyptum tranſiiſſet. De Pherecyde ejusq; ſtudiis, penitius videndum, cùm ex hujus fontibus Pythagoras pleraque poſtea Italicæ Philoſophiæ videatur hauſiſſe dogmata.

Fuit Pherecydes ex Inſula Syro, teſte APULEJO *in Floridis.* Vixit Olymp. 29. ſive ſub Tullo Hoſtilio, dixitque primus, animos hominum eſſe ſempiternos, uti docet CICERO *Tuſc. Quæſt.* imò DIOGENE LAERTIO ex Theopompo aſſerente, primus itidem ſcripſit de Natura & Diis, conſtabatque ejus Theogonia Libris X. continebatque Deorum ortum & ſucceſſum, uti eſt apud SUIDAM. TZETZES eum Crœſi temporibus vixiſſe ſtatuit, primumque inveniſſe ecclipſes & periodos Lunæ. Divinandi arte inſtructum

LAERTIUS plutibus exemplis firmat, proindeque haud mirum, si Pythagoras, cùm ab hoc Magiſtro animorum ſempiternitatem didiciſſet, poſtea *μετεμψύχωσιν* excogitaverit: cùm de Diis audiſſet, Deos ſibi comites, imò ſe ipſum Deum finxerit: cùm eccliples & periodos Lunæ accepiſſet, Aſtrologicas ſcientias deinceps coluerit, & Veneris Planetæ, in ortu Luciferi, in occaſu Veſperi appellati, naturam, primus deprehendetit, id quod & Numiſma, ſupra Capite primo No. 5. allatum, teſtatur. Non autem ſolam Aſtronomiam exercuit, imò & Arithmeticam & Geometriam, & Muſicam & prodigiorum ſcientiam, & præſtigiarum artem profeſſus eſt, de quibus omnibus Mercurius apud LUCIANUM *in Vitarum Auctione* Mercatori interroganti, quid potiſſimum ſciat Pythagoras? Reſpondet: Ἀριθμητικὴν, Ἀστρονομίαν τερατείαν, γεωμετρίαν, μουσικὴν, γοητείαν, μάντιν ἄκρον βλέπεις.

Poſſem hic latius excurrere: Poſſem Μετεμψύχωσιν, nixamque eà animantium & fabarum in cibos prohibitionem deducere: Poſſem ordinem inſtitutionis Pythagoricæ; Sed cùm horum in marmore noſtro mentio non fiat, nec calamo addenda putamus: Idque eo minus, quo fœcundiorem adhuc materiam ipſa Antiquitas ſuppeditat.

Muſæ ſe ſiſtunt & Mercurius. Mercurius? An quod animarum quæſtor eſſet? qualem, DIOGENE LAERTIO teſte, ipſe Pythagoras appellabat. Verba adjicimus, ut ſimul & appellationis ratio eluceſcat: Τὸν δὲ ἑρμῆν ταμίαν εἶναι τῶν ψυχῶν, dicebat, καὶ διὰ τοῦτο πομπέα λέγεσθαι, καὶ πυλαῖον, καὶ χθόνιον, ἐπειδήπερ οὗτος εἰσπέμπει ἀπὸ τῶν Σωμάτων τὰς ψυχὰς ἀπό τε γῆς, καὶ ἐκ θαλάττης. Sed alia adhuc ratio in ipſa Pythagoræ Μετεμψυχώσει latet; Mercurium enim Patrem fuiſſe Æthalidis, primi, in quo Pythagoræ anima habitaverat, filioque memoriam omnium, animæque tranſmigrationem conceſſiſſe, ipſe de ſe Pythagoras prædicabat. DIOGENEM LAERTIUM & hic teſtem adducimus, ex quo & diſcas, Pythagoram quintum ab Æthalide fuiſſe, migrante anima ab Æthalide in Euphorbum, ab hoc in Hermotimum, ab Hermotimo in Pyrrhum, à Pyrrho in Pythagoram, quanquam A. GELLIUS ſeriem aliter ſuggerat. De Tranſmigratione ex Pythagora in Aſpaſiam Mileſiam meretricem, & ex hac in Craten Cynicum, inde in Regem, Pauperem, Satrapem, Equum, Graculum, Ranam, aliaque innumerabilia, & poſtremo in Gallum, videri poteſt LUCIANUS. Huc nihil facit. Ad Muſas tranſimus. Muſas

Musas proposito in monumento prodit Larva Scenica, quæ in antiquis monumentis, quibusdam Musarum tribui solet. Ita in Numismatibus Pomponiæ Gentis Euterpe & Thalia, quod URSINUS ideò factum arbitratur, quòd illa Tragœdiam, hæc Comœdiam invenerit, secundum Epigramma Græcum.

Κωμικὸν εὗρε Θάλεια βίον τε καὶ ἤθεα κεδνά
Ἐυτέρπη τραγικοῖο χοροῦ πολυηχέα φώνην.
Comica vita Thalia Tibi est moresque reperti
Euterpeque Chori Tragici resonabile carmen.

Suffragantur & aliæ Antiquariæ supellectilis reliquiæ, quarum plures in schedis Pighii nostri cernimus.

Sed de Musis utique constat, quid autem eæ ad Pythagoram? id paucis videtur exquirendum. Pythagoram Musis bovem immolasse, cùm aliquid in Geometria invenisset, vulgaris opinio fuit, quod tamen non credit CICERO, *de Nat. Deorum lib.3.* idque ideò potissimum, quòd non verisimile sit, eum bovem immolasse, qui à sanguine animalium abstinendum sanxisset. In delubrum Musarum cum confugisse, cùm Milonis domus incensa esset, ibique, cùm 40. dies perstitisset absque cibo, defecisse, teste LAERTIO, Dicæarchus author est; Sed quid hoc ad Musas Juveni adstantes? Ex PHILOSTRATO rationem adducimus, qui non tantùm Apollinem manifestè, sed etiam Palladem, & quod rei caput est, Musas, non manifestè secum loqui consuevisse, alios insuper Deos, quorum nec facies nec nomina adhuc hominibus nota essent, Pythagoram tradit narrasse, adeò, ut mirum non sit, quod ex PHAVORINO LAERTIUS tradit, domum Pythagoræ Metapontinis Cereris delubrum, Vicumque *Musis* sacratum audisse. Ad Pythagoræ simulacrum revertimur. Barbatum proponit URSINUS, idq; ex Numismate Samion, ubi senis effigies est, ad OVIDII effatum, cui *Samius Senex* audit; At in nostro monumento nulla barba, nullum senis vestigium apparet. Ante Magistrum effigies puerilis visitur: In curru autem vel juvenilis, vel primâ virilitate conspicua; utrinque qualiter DIOGENI LAERTIO dicitur *σεμνοπρεπέστατος*, *venustissima forma.* Venustas sanè apud LUCIANUM Mycillo scommatis ansa fuit. Ita enim Gallum: *Σὲ ἦν φασὶ καὶ πυθαγόραν ὄντα τὴν ὥραν λαμπρὸν πολλάκις Ἀσπασίαν γινέσθαι τῷ τυράννῳ.* *Ajunt Te etiam tum, quum Pythagoras esses, VENUSTA FORMA DECORUM sæpius Aspasiam fuisse Tyranno.*

 Ho

Honestiore elogio, Mercatori, apud eundem LUCIANUM, *In Auctione Vitarum*, eum empturo, *forma non illiberali*, τὸ μὲν εἶδος οὐκ ἀγεννής dicitur, uti & Jupiter ipse κομήτην, *comatum* appellat.

Sed quid Aquila ad Pythagoram? Hæc firmissimum testimonium perhibet, non alii marmor nostrum esse addicendum. ÆLIANUM audi! Τὸν ἀετὸν τὸν λευκὸν κατέψησεν ὑπομείναντα αὐτὸν, inquit lib. IV. c. 17. AQVILAM ALBAM, *quæ volatu se ei* (Pythagoræ) *submiserat, contrectavit*. Hæc quam apposite marmor fulciant, juxta & explicent, nemo non videt. De Vestitu docet LAERTIUS: *Stola illi candida semper ac munda, stromataq; item, candida ex lana.* ÆLIANUS de veste alba suffragatur, sed addit coronam auream, & Anaxyridas. PHILOSTRATUS Vestitum ex morticina materia eum renuisse author est. In lapide nostro stola ad oculum patet: Patet & velum Divinitatis, circa caput volitans, quale in Numismate Faustinæ matris Æternitas ventilat. Quid hôc indigitari credas, si non Divinitatem, quam sibi etiam vivus arrogabat: asserens, si PHILOSTRATUM audis, *Se interfuisse aliquando Concilio Deorum, atq; ab iis didicisse, quæ illis grata, quæ contra haberentur, imò accepisse & ea, quæ de rerum natura proferre consuesset.* LUCIANI Gallus animam Pythagoræ initio ab Apolline profectam meminit; indeq; apud eundem Menippus eum allocutus: *Salve Euphorbe*, inquit, *sive* APOLLO, *sive deniq; quodcunq; voles.* Et Mercator alibi, *Femur est illi aureum.* DEUS, *non mortalis videtur esse.* Taceo ἱερὸν λόγον *Sacrum Sermonem*, quem ab Ægyptiis accepit; taceo πολλὰ θεῖα καὶ ἀπόρρητα, *Divina & Arcana multa*, quæ secundum PHILOSTRATUM ab eo dicebantur. Taceo *Tripodem Pythagoricum* teste Cœl. Rhod. l. 19. c. 7. ideo dictum, quòd nihilo secius, quam Apollo effari consuevisset; Sed quod Θεσπέσιος *Divinus* LUCIANO non uno in loco cognominetur, & PLATO eum, ut *Divinum*, miretur & suspiciat; imò quòd ex domo ejus Templum fecerint Metapontini, ipsumq; pro DEO coluerint, ut JUSTINUS l. 20. c. 4. memorat, id prætereundum non est; luculentum enim creditæ Divinitatis, quam velum adumbrat, Pythagoræ inde surgit testimonium, simul cum ratione bigarum figurarumq; reliquarum, quarum altera foemina sub bigis jacens visitur, altera virilis equos frenis arreptos tenet. Fœminam Tellurem interpretamur, quam Divinitatis vehiculo Pythagoras supergressus fingitur: figuram virilem Zamolxim Pythagoræ discipulum & servum, qui & ipse Divinitatis famam & cultum, si non apud Græcos tamen apud Barbaros obtinuit.

IV.
CEPHALUS ET PROCRIS.





CEphali & Procridis fabulam hic exhiberi, facile intelliget, cui rei ſeries innotuit. Procris erat Pandionis, vel ſecundum alios

Erechthei

Erechthei Athenienſium Regis filia, & Cephali Dejonis vel Dejonei, vel, ut alii volunt, Mercurii & Herſes filii uxor. Inter hos cum pactum intercederet, ne cum aliis quibuscunque rem haberent, Cephalus quidem ab Aurora adamatus, imò & raptus eſt; Sed ut pacto ſtaret, amanti concubitum negavit. Aurora repulſæ impatiens, Cephalum quidem domum remiſit, ſed ut Procridem ei in ſuſpicionem adduceret, multis cum muneribus, & mutatâ figurâ, ut uxor, hâc decepta, & illis ſeducta, fidem prior falleret, faciliorque deinceps Cephali voluntas eſſet. Reſpondit Eventus Conſilio. Procris munerum cupidine amorem proditura coarguitur, & pudore ſuffuſa, in Cretam abit, ubi vel à Minoë vel à Diana & jaculo donata eſt, & cane Lelape; His muneribus regreſſa Cephali pudicitiam ignota & ipſa expugnavit, & ita marito reconciliata eſt. Gliſcebat tamen occultus Zelotypiæ fervor. Igitur cum Cephalus matutino tempore venatum exiret, verita Procris, ne cum Nympha aliqua ille concumberet, clam cum inſecuta, inter virgulta delituit, donec Cephalus Venatibus laſſus, ex conſuetudine Auram invocaret, ut ſibi vires reficeret: Tunc iniquiore Cordis æſtu ſe movens Procris, à marito feram exiſtimante, eodem jaculo, quod ei dederat, percuſſa eſt. Lethale erat vulnus, poſt extractum tamen telum infelicem maritum, moribundæque adſtantem Procris oravit, ne Auram ducere vellet, ex eaque petitione error ex nomine *Auræ* ortus apparuit. Hæc fabulæ ſeries eſt, prout fere ab Authoribus traditur. Videri de ea poſſunt OVIDII lib.9. Metamorph. circa finem, Hyginus fab. 189. & alii.

Si propoſitum monumentum conferas, primo Cephalum videbis in ſolio ſedentem, cum adſtante à tergo milite, à latere autem ipſam Procridem, cui fidem videtur jurare. Sequitur Cephalus peregrina forma Procridem in Thalamum recipiens. Forſitan illic non Cephalum, ſed Minoëm præfiguratum, & hîc non Cephalum Procridi, ſed Procridem Cephalo inſidiantem arbitraberis, eo quod ipſa velata, adeoque ignota Thalamum aſcendat. Id per me licebit, quanquam & juxta conſiderandus ſit imberbis Cephalus, adeoque forma mutatus, cum in ſequentibus ubique barbatus ſit. Velamenta Procridis, non tam Cephali ignorantiam arguunt, quam Procridis pudorem, cum antiquitus meretrices velamentis ſe ſe operuiſſe vel exemplo ex Sacris conſtet. Sed hæc utique liquent. In ſequentibus
Cephalus

Cephalus cum jaculo, & cane Lelape, & equo, venatum proficiſcitur. Cum equo & cane? Atqui apud OVIDIUM ipſe:

Nec mecum famuli, nec equi, nec naribus acres
Ire canes, nec lina ſequi nodoſa ſolebant.
Tutus eram jaculo.

Sed diverſa ſunt de Cephalo commenta. Artifex aut communem venantium morem, aut alium Mythologum ſecutus, utrumque expreſſit, in ſequentibus NASONI propior.

Aura in nubibus ſedet, quam anhelâ voce implorans Cephalus, credulam Procridis Zelotypiam impulit. Procris inter Virgulta ſedens, & jam jam moritura, manum verſus maritum attollit, tanquam illum imploraret, ne Auram, ſe mortua, conjugem duceret. Cephalus ipſe, vultu in mœſtitiam compoſito, jaculum quidem ex conjugis pectore extractum, receptumque ſiniſtrâ tenet, dextrâ autem & ipſe elevatâ caſum conjugis deplorat, erroremque detegit. En pulcherrimum totius fabulæ nexum! Eoque modo Artificis genio effictum, quo & ab Authoribus deſcriptum in ſuperioribus diximus.

V.

CLEOBIS ET BITON.

Matrem ad Junonis Templum trahentes.



HIſtoria, quæ hòc & ſequentibus duobus elegantiſſimi marmoris in ſegmentis exhibetur, apud HERODOTUM exſtat, apud quem lib. I. cap. 31. interprete VALLA, quum Solon à Crœſo interrogaretur, quemnam ſecundum à Tello beatum vidiſſet? reſpondit: Cleobin & Bitonem; *quippe genus Argivum fuiſſe, & victum ſuppeditaſſe Corporis, adhac robur tantùm, ut & in Certaminibus ambo Victores exſtiterint:* Additque de his iſta memorari: *Quum dies feſtus apud Argivos eſſet, oporteretque omninò matrem eorum ad templum ferri bobus junctis, hique boves ex agro eis ad horam præſtò non eſſent, tunc juvenes excluſi*

exclusi tempore jugum subeuntes, plaustrum pertraxerunt, quo Mater vehebatur, & quinque ac quadraginta per stadia trahentes, ad templum pervenerunt. Quibus, cùm hæc fecissent, & ab omni cœtu conspecti fuissent, optimus obtigit vitæ exitus, & per hæc Deus judicavit, satius homini esse mori, quàm vivere. Nam cùm circumstantes Argivi laudibus tollerent, viri quidem consilium filiorum, fœminæ vero Matrem eorum, quòd talibus filiis prædita esset: Mater gaudio perfusa, cùm Liberorum facto, tum famâ, ante simulacrum stans, precata est eam, ut Cleobi & Bitoni filiis suis daret id, quod optimum esset homini contingere; Post hanc precationem ubi sacrificarunt, epulati sunt, quiescentesque in ipso delubro, non sunt amplius excitati, sed hoc vitæ exitu perfuncti. Quorum effigies, tanquam Virorum, qui optimi exstitissent, Argivi factas apud Delphos collocarunt.

Hæc est historia, ut dictum, qualiter apud HERODOTUM eam Solon enarrat. Si marmor conferas, ipsam matrem in plaustro cernis, cernis eam capite velato, quod sacrificantibus moris fuit, & in Sacerdote Junonis etiam Deæ memoriam renovat, quæ & ipsa interdum velata occurrit. Mater in plaustro vehitur, idque bobus junctis, qualiter ad Templum Junonis solebat; Sed bobus adstant Filii, quòd hi, bobus absentibus, eorum vices subiissent: Adstant nudi, idque secundum CICERONEM *Tuscul. Quæst. lib. 1. cap. 47.* Ubi *veste positâ Corpora oleo eos perunxisse, & ita ad jugum accessisse*, memorat. Illud fortasse incongruum putaveris, quòd nimis juveniliter sculpti sint, cùm tamen, HERODOTO teste, Corporis robur tantum fuerit, ut in Certaminibus ambo Victores exstiterint, & Argivi eorum effigies tanquam Virorum apud Delphos dedicaverint: Adde, quod & PLUTARCHUS eos Viros appellavit; Sed notandum, appellationem *Virorum* juventutem non tollere. Quos HERODOTUS & PLUTARCHUS *Viros* appellant, eos CICERO *Juvenes* & *Adolescentes*: & si robur in medium adducas, illud sanè luce clarius elucescit in succulenta illa, qua fulgent, musculorum crassitie, artuumque vegeta stabilitate.

MATER
Junonem adorans Filiis mortem impetrat.



PIetatem Fratrum vidimus. Hîc cernimus pietatem Matris, pietatisque præmium. Mater ante Templum faces extollit, procul dubio, quòd pro vita & felicitate filiorum oraret, & quod oraret Deam vitæ potentem. Vita Veteribus ſub facis ardentis ſchemate præfigurabatur, uti mors ſub face extincta, id quod marmora ad oculum teſtantur. Forſitan quòd Ilithyia, quæ eadem cum Junone fuit, in Numiſmatibus facem præferat, vel etiam, quod inter ſublunaria Diis nihil magis conveniat, quam ignis; Sed Ilithyia facem præfert, quod vitam largiatur, & Deos precantes, quid adhibeant potius, quam Symbola Divinæ Naturæ affinia? Nihil hîc de Sacro Dianæ, in Nemore Aricinæ, de quo OVIDIUS *in Faſtis:*

Sæpe potens voti frontem redimita coronis
Fœmina, lucentes portat ab Urbe faces.

De

De quibus videri possunt & PROPERTIUS & STATIUS. Nihil de facibus, novæ Nuptæ præferri solitis, de quibus & FESTUS & PLUTARCHUS *in Quæstionibus Romanis*. Nihil de Festis Promethei, Minervæ & Vulcani apud Athenienses, in quibus faces ferri solebant; Sola pietas, vitæque felicioris votum propositas accendisse videtur, ideò duas, quòd de duobus filiis precatio ad Junonem, vitæ felicitatisque præsidem, tenderet. Quo successu? Alio planè, quam speraverat Mater, id precata, quod Dii judicassent optimum; Sed an mortem? Ita Dii judicarunt, procul dubio contra Matris intentionem, quòd vivos beari maluisset. Sed aliter res cecidit: Epulati cum matre adolescentes, somno se dederunt, & in tantâ gloriâ vitam cum morte, citra ullum dolorem vel cruciatum, reperti sunt commutasse.

FILII ÆTERNITATIS
Participes
à Junone excipiuntur.



Vitam beatam Filiis suis precata erat Mater, sed loco vitæ eorum mortem obtinuit: ut Authores arbitrantur, quòd, Deâ

judice, mors vitæ præſtaret, imò quòd mors vitæ beatæ non finis, ſed initium eſſet. Vita noſtra quid eſt, ſi non ærumnarum concatenata ſeries, & quid homini conducibilius, quam iis ſolvi? Hæc ita ſi nulla ſpes poſt mortem ſupereſſet. Sed ſupereſſe, & quidem felicitatis perfectisſimæ, etiam Ethnicis indubium fuit. Adſpice marmor noſtrum! Juvenes, quos modo humi jacentes & mortuos vidimus, eos hìc cernimus vel bigarum frena apprehendere, quibus Æternitas vehitur, vel coram Junone, an Matre? flexis genibus beatiſſimæ vitæ dulcedinem agnoſcere. Æternitatem prodit velum circum Caput in circulum volitans, & quaſi in ſe reductum, nullo apparente, nec principio, nec fine. Eo enim Symbolo, uti jam ſupra diximus, etiam in Romanis Numiſmatibus Æternitas præfigurari ſolet, ex quibus etiam, bigis vectam, intelligimus, exemplo exſtante apud OISELIUM Tab. 104. ex Nummo Fauſtinæ matris. Illud in propoſito novum eſt, quòd non Æternitatis curru vehantur juvenes, ſed quod frena equorum apprehendant, prout & ſupra Zamolxis, quaſi non tam Æternitati traditi, quam Æternitatis curſum dirigentes. Felicitas creditur terrena, ſi rerum in decurſu temporis nobis adverſantium acerbitatem, prudentiâ vel evitare, vel emollire poſſumus. Quidni igitur felicitas æterna, quòd Æternitatis decurſus, quaſi ab arbitrio beatorum dependeat?

VI.

VI.

ROMULI ET TATII FOEDUS, CONCORDIAM CONCILIANTE HERSILIA.



HErsiliam, Tatium & Romulum, tribus his figuris designari, STEPHANI WINANDI PIGHII conjectura est, nec immeritò; Licet enim Romulus in Numismatibus prolixâ barbâ conspicuus, in proposito monumento autem imberbis sit, differentia tamen tanta non est, ut non diversitate temporum & ætatis excusari & possit & debeat. Reconciliatio cum Sabinis accidit Anno M. 2205. ab V. C. septimo, Triginta annis antequam turbine abriperetur; At effigies in Nummis ad eam formam delineata est, qua post derelictam vitæ stationem Proculo apparuit, seque in cœlis Quirinum appellari, significavit;

Adeò

Adeò ut planum ſit, in Numiſmate ſenem, ſub reconciliationem autem cum Tatio, adhuc juvenem, adeòque imberbem fuiſſe, qualis in propoſito monumento viſitur. De Tatio diverſa ratio: Barbatus is eſt, non minus ac in Numiſmate; Sed barbatum fuiſſe etiam tempore reconciliationis cum Romulo, brevitas imperii perſuadet. Quinque annos cum Romulo cùm imperaſſet, Laurenti trucidatus eſt.

Sed, inquis, Togatus is eſt, cùm tamen bellica veſte indutum oporteret, non minus ac Romulum? Hoc & hiſtoriæ, & Romanæ gloriæ videtur datum. Cùm poſt Romuli preces denuò concurrerent hoſtiles acies, *Res Romana*, inquit LIVIUS, *ſuperior fuit.* Superior fuit Res Romana; quid igitur mirum, quòd Sabinorum Ducem habitu pacifico, & proinde pacem petentis, cernamus? quid mirum, quod cernamus Romulum bellico, & pacis leges quaſi dictantis? Facilius Victi ad pacem inclinant, quam Victores, & hinc eſt, quod Herſilia non ad Tatium, ſed ad Romulum convertatur, manibusque elevatis eum demulceat.

Herſilia, Sabina quidem, ſed ex raptu Romuli uxor fuit, adeoque hîc omnium raptarum loco videtur concordiam ſuadere, prout LIVIO teſte, Duces ad fœdus faciendum prodiere, adeoque exercituum loco fidem ſanxere.



Quintum





Quintum Viridarii nostri segmentum, & hoc in Opusculo Ultimum, STATUAS QUASDAM exponit, non ex earum numero, quæ sub *Romanarum* Titulo prostant; Sed vel hactenus non vulgatas, vel vulgatas quidem, sufficienti autem Commentario non illustratas. Paucissimæ erunt, fateor, sed Nobilitas multitudinem supplebit. Et Artificium in censum venit, & Raritas. Numismatum & Gemmarum Cœlatores in parvo ludunt, & facilè est, Artis nævos in exiguis linearum ductibus abscondere, quanquam negari non debeat, plerosque etiam in his exactam diligentiam posuisse. Toreumata mediæ ut plurimum magnitudinis sunt, mediæ certè Dignitatis, cùm figuras non integras exhibeant, sed dimidiatas tantùm, dimidia earum parte rudi sub marmore, cui affixæ, vel ex quo elevatæ sunt, delitescente. Solis Statuis nobilior Gloria fulget, omni ex latere Artificii excellentiam ostentant. Hodienum miramur Opera Lysippi & Praxitelis; Hodienum fama Menestrati & Myronis volitat, stupescente cum Reverentiæ sensu vel ideò excipienda, quòd non sibi, sed Arti videantur laborasse. Phidias Diis, quàm Hominibus efficiendis melior fertur; At Polycletus in Hominum formis, ad veritatem exprimendis, excellebat. Quid dicendum? Nonne vel Naturæ lusum, vel Studii assiduitatem & Diis & Hominibus consuluisse? ut ad posteros, eorum notitia eo clariore radio penetraret, Artisque simul incrementum, ad summum perfectionis culmen deduceretur. Sed de his alibi! Nunc ad propositum.

HERCULES CUM CETO.

Herculis, non minus ac reliquorum Deorum, crebra inter Antiquitatis reliquias exstat mentio. Sed eum cum Ceto, quis hactenus exhibuit? Statuam unum pomum manu gestantis, Romæ in Foro Boario, haud procul ab Altari, inventam, Celeberrimus GHOULIUS memorat. An eadem fuerit cum nostra, dubitari potest, cùm & ipsa hæc unum pomum dextrâ præferat. Quicquid sit, Herculem prodit Clava & Leonis Pellis, indubitata Heroici pectoris insignia, quorum alterum Leoni Nemæo detractum, Cassidis & Clypei instar Hercules prætulisse, alterum ab Oleastro recisum, armorum vice memoratur vibrasse. De Clava constat, constat de Leonis Pelle loco Cassidis usurpata. De Clypeo res rarior; Eam tamen videas & ipsam in Numismate Phæstiωn apud GOLTZIUM, in quo non minus, ac in aliis plerisque, ne dicam omnibus, Hercules nudus, clavâque & pelle armatus visitur, cujus rei rationem DIODORUS SICULUS suppeditat, id ideò factum asserens, quòd antiquitus arma & vestes nondum cognitæ essent: quanquam alii hieroglyphicè rem explicent, sub clava Leonisque pelle & nuditate robur & virtutem intelligentes, eo quòd verisimile non sit, Herculem nudum orbem Terrarum obiisse, Virtus autem firmissimum mortalibus monumentum sit, nullaque divitiarum peribolià in transversum agatur, sed nudo homine contenta vigeat.

Ad Pomum, quod Hercules noster dextra præfert, non tantùm in mentem veniunt Poma aurea Hesperidum, quæ, interfecto Dracone vigili, ad Eurystheum retulisse memoratur, sed etiam Sacra ipsius, apud Melitenses & Bæotos, Pomis celebrata, unde & Μήλων cognomen ejus fuit. De Melitensibus audi HESYCHIUM: Μήλων Ηρακλῆς. ὀνομασθῆναι φασὶ τὸν θεὸν ὅυτως, διὰ τὸ μὴ ἱερεῖα θύειν αὐτῷ τοὺς Μελιτεῖς, ἀλλὰ τὸν κάρπον τὰ μῆλα. De Bœotiis JULIUM POLLUCEM lib. I. c. I. Sect. XXVII. Μῆλα θύουσι περὶ Βοιωτίαν ἡρακλεῖ. λέγω δὲ οὐ τὰ πρόβατα, τῇ ποιητικῇ φωνῇ, ἀλλὰ τὰ ἀκρόδρυα, ἐκ τοιᾶς δέ αἰτίας. Ενειςήκει μὲν γὰρ ἡ πανήγυρις τοῦ θεοῦ, καὶ κατήπειγε. τὸ θύειν ὁ καιρός. Τὸ δε ἱερεῖον ἄρα, κειὸς ἦν. Καὶ οἱ μὲν ἄγοντες, ἄκοντες ἐξεδίδυνον, ὁ γὰρ Ασωπὸς ποταμός οὐκ ἦν διαβατὸς, μέγας

ἄφνω ῥυείς. οἱ δ' ἀμφὶ τὸ ἱερεῖον παῖδες ὁμοῦ παίζοντες, ἀπεπλήρουν τῆς ἱερουργίας τὸν νόμον. λαβόντες γὰρ μῆλον ὡραῖον, κάρφη μὲν ὑπέθεσαν αὐτῷ τέτταρα, δῆθεν τοὺς πόδας. δύο δ' ἐπέθεσαν ἅμα, τὰ δ' ἦν τὰ κέρατα. καὶ κατὰ τοὺς ποιητὰς ἀποθύειν ἔφασαν τὸ μῆλον, ὡς πρόβατον: ἡσθῆναι τε λέγεται τῇ θυσίᾳ τὸν Ἡρακλέα καὶ μέχρι τοῦδε παραμένειν τῆς ἱερουργίας τὸν νόμον. καὶ καλεῖται, παρὰ τοῖς Θηβαίοις, ἢ τοῖς Βοιωτοῖς, μήλων ὁ Ἡρακλῆς, ὄνομα ἐκ τοῦ τρόπου τῆς θυσίας λαβών. *Circa Bœotiam*, inquit interprete RUDOLPHO GUALTERO, *Μῆλα Herculi ſacrificant; Non verò, ut Poëta per* μῆλα oves, *ſed* fructus *dico arboreas, hac nimirum de cauſa. Stata quædam erat publica Dei ſolennitas, & ſacrificandi inſtabat tempus, victima autem aries erat, quem qui adducebant, inviti cunctabantur; Aſopum enim fluvium, repentinis auctum inundationibus tranſire non poterant. Juvenes verò, qui feſto ſacrisque intererant, per luſum ſacrificii ritum complevere; maturum enim MALUM arripientes, quatuor, qui pedum loco erant, bacilla ſubdiderunt, duo vero veluti cornua appoſuere, & ſecundum Poëtas malum hoc, tanquam ovem obtuliſſe dicuntur, nec Herculi ingratam fuiſſe victimam, & propterea huc usque hunc ſacrificii ritum permanſiſſe. Et Thebanis porro Bœotisque MALORUM HERCULES, nomen hoc ex ſacrificii ritu ſortitus, appellatur.*

Hæc ex POLLUCE, quibus utique pomum, quod dextra Hercules noſter præfert, abunde illuſtratur. De Corona dicendum. Populea ea videtur, ad mentem Poëtæ in 8. Æneid. quo canente.

Herculea POPULUS *umbra*
Velavitque comas, foliisque innexa pependit.

Et paulò poſt:

Tum Salii ad cantus incenſa Altaria circum
POPULEIS *adſunt evincti tempora ramis.*

De quibus omninò videri meretur MACROBIUS lib. 3. Saturn. & quis neſcit tritum illud:

POPULUS *Alcidæ gratiſſima?*

Cauſam ex PAUSANIA diſcas *El. priore*, ubi populum albam in Theſprotide ad Acherontem Hercules reperiſſe, & in Græciam intuliſſe, memoratur, unde poſtea & mos manſerit, Eleis patrius, ut ad uſum

 Olym-

Olympicorum ſacrorum ligna ex ſola populo alba, neque ex alia arbore cæderentur, id quod & ipſe Hercules egerat. Sed propius ad rem facit SERVIUS *ad dicti Poëtæ verba :* Populus Alcidæ gratiſſima, inquit, *quia EA VELATUS ab Inferis rediit, quam* HOMERUS Ἀχερωΐδα *dicit ab Acheronte ad Superos translata. Qua coronâ uſus, duplici colore foliorum, geminos labores ſuperorum inferorumque teſtatus eſt. De hac ſanè arbore fabula talis eſt:* LEUCE, *Oceani filia, inter Nymphas pulcherrima fuit. Hanc Pluton adamavit, & ad Inferos rapuit, quæ poſtquam apud eum, completo vita ſuæ tempore, mortua eſt, Pluton tam in amoris, quam in memoriæ ſolatium, in Eliſiis piorum campis, Leucen naſci arborem juſſit; ex qua, ſicut dictum eſt, Hercules ſe, revertens ab Inferis* coronavit.

Ad Cetum properamus, qui juxta Herculem lento conamine caput elevat. Hunc fortaſſe ob colli tenuitatem, non tam Cetum quam Draconem arbitraberis. Sed Cetum evincunt, non tam fluctibus immerſi pedes, quàm figura ejus, cujus in ventre Jonas per triduum delituit. Videri is poteſt in ROMA SUBTERRANEA ARINGHI, ex antiquis Chriſtianorum Sarcophagis delineatus, ubi eadem planè colli tenuitas, iidem pedes, idemque caput viſuntur. Et quid ſi idem utrinque Cetus? SEXTUS EMPIRICUS *adverſus Mathematicos*, Herculem calvum evaſiſſe, memorat, cùm à Ceto, qui in Heſionem irruebat, devoratus eſſet. Idem tangit & LYCOPHRON, *initio* CASSANDRÆ:

Τριεσπέρου λέοντος ὅν ποτε γνάθοις
Τρίτωνος ἠμάλαψε κάρχαρος κύων
Ἔμπνους δὲ δαιτρὸς ἡπάτων, φλοιδούμενος
Τινθῷ λέβητος ἀφλόγοις ἐπ' ἐσχάραις
Σμήριγγας ἔσταλαξε κωδείας πέδῳ.
Trivesperi (ſive Trinoctii) *Leonis, quem aliquando maxillis*
Tritonis deglutivit aſperè dentatus Canis;
Vivus autem diſſector inteſtinorum, ambuſtus
Cavo lebetis in focis ignibus expertibus
Capillos deſtillavit capitis ſolo.

Quem in locum ita ISACIUS TZETZES τριέσπερον τὸν ἡρακλέα λέγει καλεῖν τὸν λυκόφρονα, διὰ τὸ ἐν τῷ κήτει τρεῖς ἡμέρας ποιῆσαι ἐς

ἑσπέ-

ἑσπέρας καλεῖ, διὰ τὸ ἀφώτιστον, καὶ σκοτεινὴν εἶναι τὴν γαστέρα τοῦ θηρίου. *Trinoctium ajo Herculem vocari à Lycophrone, quia in Ceto tres transegerit dies, quas vesperas sive noctes appellat, quia lucis expers & tenebrosus foret Ceti venter.* Ex quibus Doctiss. VOSSIUS Herculis fabulam de Ceto ex historia Jonæ ortum traxisse statuit. Occasionem asserti ex B. CYRILLO sumsit, qui *in Jona cap. II.* Ἡρακλέα φασὶ τὸν Ἀλκμήνης καὶ Διὸς καταποθῆναι ὑπὸ κήτους. ἐκδοθῆναι δὲ πάλιν ἐκ τῆς ἐμφύτου θερμότητος ἐψιλωμένης αὐτῷ τῆς κεφαλῆς, καὶ μόνης τριχὸς πεπονθότι τὴν ἀπόφασιν. Μέμνηται δὲ τῆς ἱστορίας Λυκόφρων *Herculem ajunt, Alcmenæ & Jovis filium, deglutitum quidem à Ceto, redditum tamen ab insito Ceti calore, capite solum depilato. Meminit vero historiæ Lycophron.* Imò etiam ex THEOPHILACTO: *Devoratur ergo à Ceto Jonas, tresque dies, ac totidem noctes in eo permanet Vates, quæ res omnem excedere fidem audientibus videtur, maximè iis, qui ex Græcorum Scholis, sapientiæque doctrina, ad hanc historiam accedunt. Quos equidem non satis demirari possum, qui fiat, quòd hæc non intelligant, cùm suis ipsorum alis capiantur. Apud ipsos enim nonnihil tale de* HERCULE *narratur, nempe quòd & ipse à* BALÆNA *devoratus, incolumis remanserit, nisi quod tantummodo depilatus redierit, idque ob ingenitum & internum Belluæ calorem; Aut igitur nostra suscipiant, aut sua rejiciant.* Sed hæc in medio relicta sunt.

Nos Hercules vocat, de quo Hesionem liberante, ex interpretatione Benedicti Ægii Spoletini, hæc sunt APOLLODORI verba: HERCULES (devictis Amazonibus) *renavigat, & Trojam appellit. Tum fortè accidit per Apollinis & Neptuni iram, ut Civitas infeliciter ageret; Quoniam Apollo Neptunusq; Laomedontis injuriam ulcisci volentes, mortalibus assimilati, ac veluti mercenarii, Pergama se ædificaturos, paciscuntur, quibus cùm, opere absoluto, constitutam mercedem Laomedon minime solveret, tum Apollo pestem, ac Neptunus cum inundatione* CETOS *immisit, quod quicquid mortalium in campis offendit, corripiebat; cùm verò ex Oraculis malorum finem tum fore diceretur, cùm Laomedon Hesionem filiam suam Ceto devorandam apposuisset, tum ille in proximis Pelagi saxis alligatam proposuit. Hanc ita expositam ut vidit* HECULES, *se servatu-*

 rum

rum pollicetur, si sibi, quas equas pro rapti Ganymedis jactura ei Jupiter dederat, Laomedon tradat. Hoc illi se daturum pollicitus est Laomedon. HERCULES CETOS OCCIDIT, *& Hesionem servavit. Hæc* Apollodorus. HYGINUS in paucis aliter Fab. 89. *Neptunus* inquit, *Cetum misit, qui Trojam vexaret, ob quam causam Rex ad Apollinem misit consultum. Apollo iratus ita respondit; si Trojanorum Virgines Ceto religatæ fuissent, finem pestilentiæ futurum. Cùm complures consumtæ essent, & Hesione fors exisset, & petris religata esset, Hercules & Telamon, cùm Colchos Argonautæ irent, eodem venerunt, & Cetum interfecerunt, Hesionemq; Patri pactis legibus reddunt, ut cum inde rediissent, secum in patriam eam abducerent, & equos qui supra aquas & aristas ambulabant.* Addatur & PALÆPHATUS de Incredibilibus lib. I. *De* CETO *hæc quidem memorantur, quod Trojanos è mari exiens invadebat, & siquidem ei puellas aliquas Trojani obtulissent, ab eis recedebat: Si minus eorum totam regionem devastabat: Quam verò id fatuum sit, credere Trojanos filias suas proprias Ceto exponere solitos fuisse, quis non videt? Virum namq; potius magnum quendam nomine* Cetum *hunc fuisse, dicendum est, qui cum Rex esset, multum roboris viriumque habens, ac in re navali valdè potens, Paludem quandam in Asia, quam Trojani possidebant, circa mare subvertit; Tributumq; ab eis sibi ob id persolvebatur, quod quidam* Dasmon *id est* Vectigal *vocant. Argento autem ejus temporis homines minime utebantur, sed vasis solum & suppellectile omni alia. Imperavit ideò Rex ille, qui* CETON *nomine dicebatur, ut Civitates quædam tributi nomine equos sibi darent, aliæ vero puellas mitterent. Hunc vero Regem, cui nomen erat Ceton, Barbari Cetum vocabant. Hic circumquaq; loca illa adibat, & debito necessarioq; tempore, tributum ab iis promissum, exigebat. Quod si quæpiam Civitates persolvere recusarent, eorum regiones & loca malè tractabat. Pervenit & is quoque ad Trojam, eo potissimum tempore, quando* HERCULES *illic etiam exercitum Græcorum habens, venit. Unde Herculem tunc Laomedon Rex in Trojanorum præsidium conduxit. Ceton verò exercitum suum cum impetu in eos duxit. Cui cùm obviam Hercules & Laomedon cum copiis suis facti essent, illum interfecerunt, quo ex facto sermo fabulosus confictus est.*

APOLLO.

NObilisſimus JOACHIMUS à SANDRART, inter *Admiranda Sculpturæ Veteris*, ſtatuam propoſitæ in paucisſimis diſſimilem, Poëſin arbitratur, aitque eam exſtare in Palatio Medicæo, quod Romæ eſt. Aſſertum juvare videntur & Volumen, quod apud eum dextrâ præfert, & Cygnus, avis ſecundum fabulam vocaliſſima, & Laurea Apollinaris, ſolitum cum hedera Illuſtrium Poëtarum præmium.

In propoſita, quam & ipſam ex MSCto Pighiano, deſumſimus, idem plane habitus eſt, niſi quod, loco Voluminis, Lyram præferat, & Laurea abſit. Idem eſt habitus Cygni, idemque dependentis pallæ fluor: ut non abs ratione dubites, an non eadem utrinque ſtatua ſit? An non fractis lyræ cornibus, relicta baſis voluminis, & coma vetuſtate corrupta, laureæ ſpeciem objecerit? Quicquid ſit, Poëſin tamen in neutra ſtatueris. Genus obſtat, quod non Poëſin hoc ſenſu, ſed *Poëtam* aliquem demonſtrare videretur, in noſtra *Lyricum*, in Sandrartiana *Epicum*, & quidni ipſum Mantuanum Cygnum? Sed hunc in noſtra ut agnoſcas Cithara prohibet, ut Lyricum agnoſcas in Sandrartiana, prohibet Lyræ abſentia, & præſentia Cygni. Tertium igitur amplectendum. Non Poëſin, nec Poëtarum aliquem noſtra ſtatua præfert, ſed Apollinem, Poëtarum, ſecundum Ethnicos, & Præſidem & Deum. Hunc lauro redimitum vel millena Numiſmata exhibent, redimitum tænia, memorat PAUSANIAS *in Atticis* περὶ τὸν ναὸν ἑςᾶσιν ἡρακλῆς καὶ Θησεὺς καὶ Ἀπόλλων ἀναδέμενος ταινίᾳ τὴν κόμην. Idem & de Cithara in *Arcadicis*, & iterum in *Laconicis*: in Portu ad Zaracam Apollinis delubrum memorans, & ſimulacrum Citharam tenentis.

Sed hæc utique vulgaria ſunt. Non item, quod Cygnus ei ſacratus erat. Cygno per aëra vectum, in ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΩΝ Numiſmatibus contemplamur, ad quæ ILL. PATINUS ſequentia MARTIANI CAPELLÆ citat: *Scandente Phœbo, Muſarum pediſſequus, adhærensque comitatus, candenti canoraque alite vehebatur. Cygnos currum Apollinis, cui ſacræ erant aves, vehere, finxerunt Poëtæ, fortasſis ob Harmoniam, quam paulò ante obitum edunt.* Sed magis ad ſtatuam facit LUCIANUS, qui Olores Ἀπόλλωνος

λωνος παρέδρους *Apollinis Assessores* vocat, & CALLIMACHUS, qui à natatu Cygnorum, numerum fidium Apollinem desumsisse narrat: Ita ille *in Hymno in Delum* ℣. 155. *seqq.*

Κύκνοι δὲ θεοῦ μέλποντες ἀοιδοὶ
Μηόνιον Πακτωλὸν ἐκυκλώσαντο λιπόντες
Ἑπτάκις περὶ Δῆλον. ἐπήεισαν δὲ λοχείῃ
Μουσάων ὄρνιθες, ἀοιδότατοι πετεηνῶν
Ἔνθεν ὁ παῖς τοσσὰς δὲ λύρῃ ἐνεθήσατο χόρδας
Ὕστερον, ὁσσάκι κύκνοι ἐπ᾽ ὠδίνεσιν ἄεισαν.

Olores, Phœbi cantores modulantes,
Mæonio Pactolo relicto, cinxerunt
SEPTIES circa Delum, & accinuerunt puerperio
Musarum Volucres, vocalissimi inter aves.
Atque hinc Puer (Apollo) *TOTIDEM Lyræ intendit FIDES*
Postmodum, quoties Olores pariendi doloribus accinuerant.

De Nuditate adhuc dicendum, & dependente à brachio Palla. Nudum Apollinem cum dependente, quanquam aliter, palla, plurima Numismata exhibent: Vestitum, vix unicum Augusti, in quo, ad mentem PROPERTII, Lib. II. El. 23.

Pythius in longa Carmina veste sonat;

Sed hic ad Citharœdorum habitum videtur effictus. In reliquis plerumque nudus est, procul dubio, quòd sub eo Sol intelligatur, apertum nostris oculis Luminare, & cujus splendore totum Hemisphærium illustratur, quanquam interdum pellucidæ nubes candorem involvunt, quas proinde sub Apollinis palla tibi rite imagineris, suffragante HORATIO lib. 1. ad 2.

NUBE Candentes humeros AMICTUS
Augur APOLLO.

BACCHUS
Coronam Hederaceam
ſibi imponens.

BACCHI ſimulacra pluribus in monumentis proſtant. Non Statuæ tantùm, ſed & Numiſmata, & Gemmæ, & Marmora ejus habitum exprimunt; pauca tamen ſunt, quæ non ab aliis differant. Ita etiam in iis, quæ vulgaria videntur, quædam tamen occurrunt noſtrâ contemplatione non indigna, præſertim ſi & nobilitate Artificii excellant, & antiquæ Superſtitionis vanitatem nativis ductibus exponant. Statua noſtra ex horum numero eſt. Artificii excellentia, Genuinæque Antiquitatis genius prodeuntem adeò commendant, ut ex PIGHII delineatione eam vulgare non dubitem, licet inter *Regias Gallorum* jam vulgatam. Bacchum intueris τὸ σῶμα οὐκ ἄμορφον, *Corpore non deformem*, quod de eo Pentheus dicit apud EURIPIDEM *in Bacchis Act. II. ℣. 20.* Forma Bacchum Bœoticum demonſtrat; Hunc enim juvenem, elegantem, delicatum & adoleſcentem fuiſſe, diverſumque ab Indico barbato, DIODORUS author eſt. HOMERO νεανίῃ ἀνδρὶ ἐοικὼς *juveni vero ſimilis* vocatur. Ἀγλαόμορφος *formoſus* POETÆ INCERTO *in Florilegio Epigrammatum lib. I. c. 38. n. II.* Formam Virgineam memorat Aletes apud OVIDIUM *Met. l. III.* quæ tamen in facie & comis præcipue elucet. De Corpore reliquo ipſum de ſe apud EURIPIDEM audias:

εἶδος θνητὸν ἀλλάξας ἔχω
Μορφὴν ἐμὴν μετέβαλον εἰς ἀνδρὸς φύσιν.

Mortali ſumtâ imagine
Me in ora & habitum transformavi VIRI.

Artuum ſc. ſucculenta craſſities, muſculorumque nitidior exſtantia virilitati ſuffragantur; at comarum nexus, at oculorum ſcintillæ, facieique nitor cultum fœmineum evincunt. Non alio Authore hîc opus eſt, ac eodem EURIPIDE, apud quem idem Pentheus:

Πλόκαμός τε γάρ σου ταναός, οὐ πάλης ὕπο
Γένυν παρ' αὐτὴν κεχυμένος πόθου πλέως
Λευκὴν δὲ χροιὰν ἐκ παρασκευῆς ἔχεις.

COMA tibi prolixa est, non ex lucta,
Formosis diffusa genis, delicata, plena desiderio.
Praterea Cute adornatus nites candidula.

Et iterum: Πρῶτον μὲν ἁβρὸν βόστρυχον τεμῶ σέθεν.
Primum quidem DELICATAM tuam abscindam COMAM.

Cui respondit Dionysus.
Ἱερὸς ὁ πλόκαμος. Τῷ Θεῷ δ' αὐτὸν τρέφω.
Sacer Capillus est. Deo ipsum nutrio.

Cæsariem *flavam* & *fragantem* ei tribuit idem Pentheus, ubi simul & de oculis discas.

Λέγουσι δ', ὥς τις εἰσελήλυθε ξένος
Ξανθοῖσι βοστρύχοισιν εὔοσμος κόμην
Οἰνωπὰς ὄσσοις χάριτας Ἀφροδίτης ἔχων.
Dicunt quod quidam hospes advenerit
Fragans Coma, & flava Cæsarie,
Nigrasque habens in Oculis Citheraa gratias.

Sed de his plena sunt Poëtarum Volumina. Pellem, quæ corpus ambit, Interpres Statuæ Regiæ non Hinnuleam, sed Tigridis statuit esse, juvarique posset illo Claudiani:

Parthica velat
Tigris & auratas in nodum colligit ungues.

Sed PIGHIUS, nisi fallor, pellem hinnuleam expresit, usus Statuâ procul dubio integriore. Plura Bacchus Vestium genera habuit. Sindonem & Mithras gestare, unguentis & floribus tingi, Bacchicum esse, STRABO ait. Bacchum in antro cubantem, tunicâque talari vestitum PAUSANIAS memorat: In propositâ Statua pellis hinnulea corpus ambit. Apud EURIPIDEM crebra ejus mentio est. Νεβρίδι ἐξάψας χροὸς *Corpore indutus Nebride* venit Bacchus Thebas, docente ipso in Prologo Baccharum. Νεβρίδος ἔχων ἱερὸν ἐνδυτὸν, *sacro Nebridis indutus Amictu* cantatur Choro, cujus ad imitationem etiam Tiresias:

Θυρσοὺς

Θύρσους ἀνάπλειν καὶ νεβρῶν δορὰς ἔχειν
Στεφανοῦν τε κισσίνοις βλαστήμασιν,
Thyrsos tollere, & pelles hinnuleas induere
Tempora frondibus hederaceis redimire.

Se ſenem cum ſeniore conſtituiſſe jactat: & Juvenculas, Anus, Innuptas & Virgines, demiſsâ per humeros coma, *Nebridas ſubligaſſe*, Nuncius memorat. Et quid multa? Epitheton *νεβριδόπεπλε* in epigrammate, hinnuleâ pelle indutum abundè demonſtrat. Νέβρου δέρας στικτόν, *Hinnuli pellis maculis ſparſa* alibi vocatur. Sub maculis Aſtra intelligi NONNUS *l. 14. Dionyſ.* author eſt, quod ſi verum, utique ſub pelle Cœlum, & proinde ſub Bacchi ſimulacro ipſum Deum intellexeris, quem ideò nudum ut plurimum effinxerit Gentilium ſuperſtitio, quod exſertis in genus humanum divinæ bonitatis radiis ſe conſpiciendum præbere ſoleat: Talis Jupiter omnium Deorum Rex, talis Apollo Lux mundi, & in propoſita Statua Bacchus, *Vini* ſecundum DIODORUM *Inventor*, & OVIDIO teſte,

Genialis Conſitor Uvæ,

Quam ſiniſtrâ contrectat, & à qua apud Homerum Πολυστάφυλος *Uvis abundans* vocatur: honeſtiore elogio, quam in epigrammate Κωμαστής *Ebrius*, quo habitu currui inſidentem ATHENÆUS memorat, apud quem & faciem ejus ex ligno Viris reperias, non adeò abſurdè ad virem, arboris trunco, hoc in κειμηλίῳ, circumvolutam. Arboris trunco: An quòd vites ulmis Antiqui adjungerent, quod ex Virgilio palam eſt? An quod Bacchus etiam Arborum curam geſſerit, docente PLUTARCHO? Prius forſitan prætuleris, quòd poſterius non truncum requirat, ſed arborem & foliis & fructibus divitem, ut Dei poteſtas ſimul eluceſcat. De vite ſuccurrit etiam elogium *εὐαμπέλου vitibus abundantis*; Bacchus enim non vino tantùm ſe ingurgitare, adeoque potantibus ſavere, ſed & vinum producere, vineaſque curare credebatur. Coronam, quam Capiti videtur imponere, interpres Regius *Pampineam* facit; Mihi Hederacea videtur. Equidem Πολυστέφανος *Variè coronatus*, in epigrammate vocatur. Uvis coronatum ibidem Epitheton *Βοτρυχαίτου* indicat.

Coronatum & hederâ & lauro Homerus teſtatur. Et quod accedit, omnia proſtant in ſuperſtitibus Antiquitatum theſauris. Sed inficias ire non poſſumus, communiorem Baccho fuiſſe coronam hederaceam, unde Κισσοςεφάνυ elogium meruit. HOMERUS Κισσοκόμην, & PINDARUS Κισσοφόρον appellat. Clarius adhuc NICERATUS Epig. l. 1. c. 59. No. 7. Bacchum allocutus de Cratino

ἔιχε δὲ κισσῷ

Μέτωπον, ὥσπερ καὶ σὺ, κεκρσωμένον.

Habuit hedera

Frontem, ut & Tu, redimitam.

Hederâ Bacchum delectari, ut Capellâ delectatur Jupiter, incertus Author eſt alibi. PLINIUS *Bacchicam* dictam ſacriſque Bacchi apud Thraces adhibitam, imò & Thyrſos, Galeas & Scuta eâ ornata memorat: Rationes Conſecrationis variæ ſunt: vel quòd Bacchus eâ in arbore fuerit occultatus: vel quòd racemos Uvarum hedera imitetur: vel quòd ſemper ſit viridis & juvenis, qualis Deus ipſe fingebatur: Vel quòd, cùm frigida ſit arbor, ob inſitum frigus, adjumento ſit contra ebrietatem: vel quòd Ciſſus, Bacchi comes, cùm inter ſaltandum periiſſet, Bacchi juſſu in hederam fuerit mutatus. Sed hæc apud Mythographos exſtantia, latius hic examinare haud arbitror operæ pretium: Unicum adjicimus ex PLINIO, ſed quod propoſitæ Statuæ apprimè videtur quadrare. Ita ille Lib. XVI. c. 4. *Antiquitus corona nulla niſi Deo dabatur: ob id Homerus Cœlo tantùm eas & Prælio univerſo tribuit, viritim verò ne in certamine quidem ulli. Feruntque* PRIMUM OMNIUM LIBERUM PATREM IMPOSUISSE CAPITI SUO EX EDERA.

JULIA AUGUSTA.

DUm Statuam contemplor, ex Regiis apud Gallos Ædibus depromptam, ſubit ecce & alia, nec ipſa, ſi mihi credas, ſatis dilucidata. Interpres generali vocabulo FOEMINAM inſcripſit, aitque quibusdam Deam Cererem eſſe viſam, idque quòd altera manu præferat papaver. Sed difficile eſſe judicium, cùm temporis injuria nitor evanuerit; figuram tamen pulcherrimam eſſe, & antiquiſſimam, vereque Romani artificii, id quod ex Veſtimento appareat, cùm Græci Statuas ut plurimum nudas exhibuerint.

Romanum artificium eſſe mihi facilè perſuadeo, Romanam enim, ſed non de plebe, mihi videor intueri fœminam. Ornatus Capitis idem plane eſt, qui eſt in Numiſmatibus Juliæ Auguſtæ, Uxoris L. Septimii Severi, Bellicoſisſimi Romanæ Gloriæ Imperiali in faſtigio Reſtauratoris. Eadem ſunt & inſignia; ſiniſtrâ enim non papaver, ſed ſpicas præferre videtur, quas & Julia apud TRISTANUM in Numiſmate ΔΑΛΔΙΑΝΩΝ, quas & Ceres in Numiſmatibus Juliæ apud ILL. MEDIOB. ex quibus ſimul conſtat, Cereris habitu ipſam Juliam adulatoribus olim fuiſſe effictam. Accedit formæ, quam Statua exhibet, præſtantia, cùm Juliam *pulcherrimam* SPARTIANUS afferat in Caracalla, cùm talem & hodienum Numiſmata præferant, in quibus, niſi me acies fallit, & facierum quædam convenientia deprehenditur, quo argumento facile reſponderis, ſi quis aliam, eodem capitis ornatu inſignem, puta Juliam Mæſam, aut Soæmiam adduxerit.

De Julia Severi conſtat, eam Syram fuiſſe: conſtat, horoſcopum Regium habuiſſe, quo impulſus Severus eam duxerit. De eo SPARTIANUS. *Cùm amiſſa Uxore, aliam vellet ducere, genituras ſponſarum requirebat, ipſe quoque Matheſeos peritisſimus: & cùm audiſſet eſſe in Syria quandam, quæ id genitura*

 habe-

haberet, ut Regi jungeretur, eandem Uxorem petiit, Juliam ſcilicet, & accepit interventu Amicorum: ex qua ſtatim Pater factus eſt. Pater eſt factus, genito ſcilicet Caracalla: tantùm abeſt, ut Julia vel Caracallæ noverca fuerit, vel etiam, poſt Severi mortem, inceſtas cum filio nuptias inierit. Fabulam graphicè refutat TRISTANUS, quanquam negari forſitan non debeat, Juliam haud ignavam Veneris ſatellitem fuiſſe: *Adulteriis famoſam* ÆL. SPARTIANUS teſtatur & in Numiſmatibus nihil frequentius venditat ipſa, quam Venerem vel *felicem* vel *victricem*, vel *genetricem*.

Equidem non dixero, turpitudini hæc accenſenda, quanquam quis turpe reputaſſet adulterium exemplo Deæ commiſſum? potius formam & fœcunditatem adduxeris, quà Veneri vel par vel ſuperior erat: Uti & Matrem Deorum adulatio finxit, quòd Caracallam & Getam peperiſſet: Junonem, quòd Imperium in Terris obtineret, ut Juno in Cœlis: Dianam, quod imperatorium jubar, poſt Severum, unica Orbi Romano impertiret: Et denique in noſtra Statua Cererem, quòd ipſius donum videretur, qua Severus Rempublicam beaverat, nobilioris Annonæ abundantia. Severi Numiſmata rem confirmant, ea præſertim, quibus vel Annona Auguſti cum Cerere conjungitur, vel Ceres frugifera cum ſpicis & haſta exhibetur. Spicis & Haſta? an hinc, quem dextrâ adhuc tenet Julia noſtra, bacillum, haſtæ fragmentum arbitraberis? per me id licebit, quanquam & facis reliquiæ eſſe poſſint, quæ & ipſa Cereri affingi ſolet, eam potiſſimum ob cauſam, quòd accenſis in Ætna facibus, Proſerpinam filiam, à Plutone raptam, quæſierit. Quicquid ſit, Liberalitatem Severi & Juliæ, qua Annonæ proſpexerunt, Felicitatique conſuluerunt, his ſchematibus celebrari, non alia ratione eviceris arctius, quam eo Numiſmate Severi, quo figura ſtolata ſtans ſiniſtraque cornucopiæ tenens, dextra autem frumentum quinque puerulis diſtribuens, SÆCULI FELICITAS inſcribitur. Adeò mirum non eſt, Juliam Cereris, & habitu & inſignibus adornatam occurrere, cujus, in reliquis, &

luctui

luctui propior fuit. Sub Severo, Plautiani calumniis lacessita: Severo mortuo, Caracallæ parricidio læsa, tanto acerbius doluit, quantò occultius debuit. Philosophia tamen, qua non minus ac Astrologia & Geometria excellebat, doloris asylum erat, quousque ambitiosissimæ Fœminæ Imperialis fastigii jubar relinqueretur. Eo Macrini indignatione negato, supremum Ethnicæ stoliditatis solatium à se impetravit, ut simul cum Imperii decore, ipsam etiam vitam videatur amisisse.



Errores Correcti.

PAg. 14. l. 19. lege *venerabantur*. p. 16. l. 3. *Proceres*. p. 20. l. 10. ὕδωρ. pag. 32. Lineæ tres ultimæ omittantur. p. 37. l. 34. lege χρηστήριον. pag. 38. l. 4. κατασκευάσαι. p. 42. l. 7. *potius*. p. 44. l. 19. *illa*. p. 50. l. 7. παμβασίλεια. pag. 52. l. 2. *Lapidibus* pag. 57. l. 10. *velocitate*. pag. 63. l. 2. παιδαγωγόν. pag. 80. l. 13. *officium*. pag. 85. l. 29. BOISSARDUM. pag. 87. l. 16. *Oceano*. l. 28. *quas*. pag. 82. l. 3. ROBERTUS STEPH.



